37.17.41

JOHANNES GOEDARTIUS

DE

INSECTIS,

In Methodum Redactus;

CUM

NOTULARUM

ADDITIONE.

Operâ *M. LISTER*, è Regiâ Societate *Londinenſi.*

ITEM

APPENDICIS

AD

Hiſtoriam Animalium Angliæ,

Ejuſdem *M. LISTER,*

Altera Editio hic quoque exhibetur.

Unà cum Scarabæorum Anglicanorum quibuſdam Tabulis mutis.

LONDINI,

Excudebat *R. E.* ſumptibus *S. Smith* ad Inſignia Principis in Cœmeterio D. *Pauli.* 1685.

2 ll 19 *



90...174

LECTORI
SALUTEM.

NOndum mihi constat, Goedartio unquàm in animo fuisse, Exercitationes sequentes publici juris facere, eúmve ad quid aliud collimâsse, quàm ut Genio suo placeret & gratificaretur, necnon & egregiam illam in re Miniculatoriâ, peritiam, quâ pollebat, exerceret; quòd inde patet, quia descriptiones pænè universas ex toto neglexerit, ad quas tamen probè perficiendas sufficiens ipsi ansa administrabatur: huc accedunt etiam relationes plurimæ, ad Colores in designationibus suis habitos, quos Calcographia (sive

Typi ænei) *repreſentare non potuit*; *ne addam ordinem illum tumultuarium, quo poſt mortem ejus in publicam emanârunt: Inſtar omnium autem erit, profectus ille, plùs ſatis tenuis, quem quoad peritiam ejus circa* Inſectorum *indolem feciſſe viſus eſt, poſt quotidianam ejus per annos* 40. *(ipſomet referente) cum iis neceſſitudinem.*

Poſt hæc tamen omnia, Juſtum illum ubicunque verumque in Obſervationibus *ſuis deprehendemus, ſed in quamplurimis locis admodùm deficientem, & intellectu difficilem.*

Deindè, ſicut cibos ipſis induſtriè miniſtraverit, obſervatis eorum etiam mutationibus, ita vix aut ne vix quidem quippiam ante literis commiſit, niſi quod fœlicitèr ipſi ſucceſſerit & (prout ipſe intellexit) debitas metamorphôſes *ſubierit: quod plus eſt, quàm quiſ-*

quam

quam hominum, ante eum, unquàm præſtiterit; adeò ut, non eſt quòd miremur, Induſtriam, ita diutinam atque pertinacem, tam paucas Hiſtorias *produxiſſe: etenim non* Inſecta *omnia, quæ in manus venerunt, chartis conſignavit, ſed illa ſolùm, ex iis altilia, quæ, fælicibus auſpiciis, ad* Tranſmutationes *perduxerit.*

In hiſce tamen paucis Hiſtoriis, *quantulum quid de univerſis* Inſectorum *in rerum naturâ* generibus *comprehendetur.*

Monumenta ſua Sermone Belgico *ſcripta poſt ſe reliquit, quæ diverſis temporibus, ac diverſorum hominum ope* Latio *tandem donabantur: eorum Commentaria, ut aliena, de induſtriâ prætermiſi, contentus, Authoris ipſius verba ſolummodò divulgare, ſubinde tamen* Animadvertendi *libertate uſus, ſi quid apud* Authorem *occurrat meæ ipſius in his rebus experientiæ minùs conſentaneum.* Quid

Quid quòd Hiſtorias *etiam in certam* Methodum *redegi, juxta variam* Inſectorum, *inibi Tractatorum indolem; additâ etiam* Expoſitione *meâ (ubi ipſum intelligere potui) rerum plurimarum, quæ dubitationi obnoxiæ viſæ ſunt. Hinc fit, ut ſemita iis, quibus per otium licuerit, plana aperiatur ad* Hiſtoriam *Animalculorum horunce, diu neglectorum, ulteriùs proſequendam.*

Quoad Iconiſmos, *ſummâ operâ uſus ſum, ut* Typis æneis *ab* Artifice *peritiſſimo inſculperentur.*

Si adhùc Lector nôſſe cupiat, cur Commentariola noſtra ad majorem ſolùm partem, non integrum Librum pertingerent; ſciat velim, Chartas has diu apud me imperfectas hæſiſſe, & in rudibus tantùm (ut ità loquar) lineamentis per ſeptennium delituiſſe; accedit, quòd diutiùs latitaſſent niſi aliquis amicus mihi amiciſſimus Tranſcribendi

ſcribendi ac Perficiendi provinciam, perquàm urbanè, in ſe recepiſſet. Exoleto enim noſtro Commentandi *Genio, quinimò &* notionibus *de hiſce rebus olim infixis, jam minùs vividè memoriam ſerientibus, parum ſuppetiit otii meipſum denuò informare; permiſi ergò ut eæ in lucem emanarent, prout ab eo inventæ ſunt.*


1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.

SECT. I.

De Papilionibus, *erectis alis ſedentibus, quorum* Chryſalides *univerſæ Angulares ſunt; ex quibus Octo extant* Species, *apud* Goedartium.

NUM. I.

ERuca, Num. 1. hirſuta eſt; originem ſuam habet ex ſemine Papilionis, Num. 1. (cui, ob coloris elegantiam & varietatem nomen eſt, oculus Pavonis) quod foliis urticæ imponit.

Hanc erucam cepi decimo quarto die Maii, Anno 1635. eamque alui foliis urticæ uſque ad undecimum Junii ejuſdem anni; quo tempore ſe ad transformationem



SECT. I.

De Papilionibus, *erectis alis ſedentibus, quorum* Chryſalides *univerſæ Angulares ſunt; ex quibus Octo extant* Species, *apud* Goedartium.

NUM. I.

ERuca, Num. 1. hirſuta eſt; originem ſuam habet ex ſemine Papilionis, Num. 1. (cui, ob coloris elegantiam & varietatem nomen eſt, oculus Pavonis) quod foliis urticæ imponit.

Hanc erucam cepi decimo quarto die Maii, Anno 1635. eamque alui foliis urticæ uſque ad undecimum Junii ejuſdem anni; quo tempore ſe ad transformationem

compoſuit; capite deorſum pendens, ut videre eſt in tabulâ primâ. In hâc ſuâ mutatione manſit dies novemdecim, eoque tempore ex eâ prodiit elegantiſſimus papilio, quatuor alas habens, cuique nomen eſſe, pavonis oculum, antè indicavimus.

Quùm primùm prodiret papilio, alæ ejus erant inſtar papyri madidæ, ex quibus guttulæ nonnullæ aquoſæ ſtillabant, ſed (quod mihi videbatur obſervatu dignum) ſpatio mediæ horæ fiebant ſiccæ, expanſæ, & ad volatum idoneæ.

Alimentum hujus papilionis eſt ſaccharum, aliaque dulcia, præcipuè autem mel, quod ex floribus colligit; valdè quoque delectatur fructibus corruptis, quorum cauſâ ſæpè inter eos pugnæ oriuntur ac diſſidia.

Hyberno tempore ſe abſcondunt

dunt in ruſticorum caminis, ex quibus eos nonnunquam luculentiori foco accenſo prodire coegi; latere quoque deprehenduntur in cavis arboribus.

Bene obſervavit Author noſter, Erucam hanc e talis Papilionis ovo ortum ducere: Veriſimiliter etiam omnes Erucæ (quales demum cunque fuerint) reſpectivis Papilionum ſuorum ovis originem ſuam debent. Papilio eſt Inſecta *mater in perfectione; Eruca vero,* & Aurelia, *vel* Chryſalis *ejus ſunt tantùm* Larvæ *quædam pro tempore, quibus unum idemque Animal á naturâ in varios uſus circumveſtitur,* viz. *Erucæ Larvâ, ut hoc vel illud cibamentum edat;* Aureliæ *verò, ut artus ejus perficiantur indurenturque.*

NUM. II.

QUamvis urticæ foliis pungantur & lædantur manus noſtræ, iis tamen gaudet eruca Num. 2. neque ad tranſmutationem ſe accingit, aut à cibo abſti-

net, quamdiu hæc herba viget. Mutari cœpit vigeſimo-tertio Junii, ac nono Julii productus fuit papilio, pulchris coloribus notatus, cujus figuram vides ſub erucâ expreſſam. Hi papiliones totam hyèmem inveniuntur in pecorum ſtabulis; erucas, ex quibus oriuntur, helluones appellavi, quia admodum voraces ſunt.

Deeſt hic Chryſalidis *Effigies. Præcedenti* Commate *obſervavi uſum, cui Papilionum Larvæ inſerviunt: Hìc etiam animadvertam, Erucas duro & vili cibo paſci, qualis eſt ſubſtantia foliorum Plantarum; cùm Papiliones, melle floreo & cibis liquidis veſcantur. Contrà planè naturaliter accidit in Animalibus ſanguineis & claſſis perfectioris; quæ, adhuc* embryonantia, *aluntur* Chylo *quodam præparato, ſed poſt ortum ſuum cibos habent duriores in nutrimenta; & prout adoleſcunt, & ad maturitatem perveniunt, edunt adhuc abjectiora.*

NUM.

NUM. III.

ALimentum harum erucarum, Num. 3. ſunt ulmorum folia. Inſtante transformationis tempore, ad domos & horrea ſe conferunt, & poſteriora corporis ſui membra exactè parieti alicui aut aſſeri tabulæve affigunt, capite deorſum pendentes, ut abſolutâ tranſmutatione, facilius ex folliculis ſuis prodeant.

Priuſquam in novæ formæ aſſumptione, veterem pelliculam exuant, anxiè videntur laborare, corpus undiquaque quatiendo, jactando, contorquendo, ac tremendo, tanquam ſi acutâ febri corriperentur. Tandem corpore aliquoties ſurſum ſublato, ac denuò deorſum dimiſſo, univerſum corpuſculum ſuum in orbem contrahunt, unde

adeò intumeſcit, ut pellis tota in longitudinem findatur, & ſic paulatim, aliâ novâ ſuccreſcente, decidat: eoque tempore aliquamdiu quieſcunt.

Hoc autem imprimis notatu dignum eſt in his erucis; quòd ubi dorſum fuit erucæ, ibi alvus & pedes extant ejus animalis in quod mutatur; & contrà, ubi alvus & pedes erucæ erant, ibi jam tergum conſpicitur animalis, quod per transformationem ex erucâ productum fuit. Atque mirabilis hæc tranſmutatio brevi temporis ſpatio perficitur, adeò ut diſtinctè videri & obſervari poſſit; ſimulac enim vetus pellis depoſita eſt, hæc tranſfiguratio manifeſtè apparet.

Transformari cœpit hæc Num. 3. Eruca duodecimo die Junii, ac trigeſimo ejuſdem menſis mutata fuit in papilionem pulcherrimum

quatuor

quatuor alis præditum, quem vivis ſuis coloribus Num. 3. delineavi. Factâ primùm transformatione, alæ erant inſtar chartæ madidæ, ſed ſpatio medii quadrantis unius horæ, exſiccatæ, expanſæ atque ad volatum idoneæ redditæ fuere. Poſt hæc, ex papilionis membris poſterioribus quatuor guttæ ſanguinis deciderunt; poſtque mediam horam gutta humoris clari, inſtar aquæ; vixitque poſt aſſumptam papilionis formam dies novemdecim, abſque ullo alimento.

Alia autem eruca numero licèt, ſpecie tamen cum præcedente eadem, ad transformationem ſe compoſuit decimo-tertio Julii, eâque jam abſolutâ, ex tergo ejus eruperunt muſcæ octoginta duæ, ut in Num. 3. videre eſt. Adeò ut ex unâ erucâ papilio provenerit, atque ex aliâ, ejuſdem tamen ſpeciei, muſcæ 82.

adeò intumeſcit, ut pellis tota in longitudinem findatur, & ſic paulatim, aliâ novâ ſuccreſcente, decidat: eoque tempore aliquamdiu quieſcunt.

Hoc autem imprimis notatu dignum eſt in his erucis; quòd ubi dorſum fuit erucæ, ibi alvus & pedes extant ejus animalis in quod mutatur; & contrà, ubi alvus & pedes erucæ erant, ibi jam tergum conſpicitur animalis, quod per transformationem ex erucâ productum fuit. Atque mirabilis hæc tranſmutatio brevi temporis ſpatio perficitur, adeò ut diſtinctè videri & obſervari poſſit; ſimulac enim vetus pellis depoſita eſt, hæc tranſfiguratio manifeſtè apparet.

Transformari cœpit hæc Num. 3. Eruca duodecimo die Junii, ac trigeſimo ejuſdem menſis mutata fuit in papilionem pulcherrimum

quatuor

quatuor alis præditum, quem vivis ſuis coloribus Num. 3. delineavi. Factâ primùm transformatione, alæ erant inſtar chartæ madidæ, ſed ſpatio medii quadrantis unius horæ, exſiccatæ, expanſæ atque ad volatum idoneæ redditæ fuere. Poſt hæc, ex papilionis membris poſterioribus quatuor guttæ ſanguinis deciderunt; poſtque mediam horam gutta humoris clari, inſtar aquæ; vixitque poſt aſſumptam papilionis formam dies novemdecim, abſque ullo alimento.

Alia autem eruca numero licèt, ſpecie tamen cum præcedente eadem, ad transformationem ſe compoſuit decimo-tertio Julii, eâque jam abſolutâ, ex tergo ejus eruperunt muſcæ octoginta duæ, ut in Num. 3. videre eſt. Adeò ut ex unâ erucâ papilio provenerit, atque ex aliâ, ejuſdem tamen ſpeciei, muſcæ 82.

NB. 1. *Credo, lapſum eſſe Authorem noſtrum in obſervatione ſuâ, cùm aſſerat, Erucæ dorſum in Papilionis alvum fuiſſe mutatum:* Chryſalis *enim, meâ ſententiâ, corpus ſuum intra aridam laxamque pelliculam ſat commodè vertere potuit, etiam in ipſo exuvias ſuas deponendi actu, quod errori huic anſam ſuppeditare poſſet; præcipuè cùm tam anxiè laboraret atque moleſtaretur in illis diffringendis, ut advertit Author.*

2. *Quoad Erucam corpus ſuum parieti affigentem, notandum eſt, hoc, unico filulo medium circumjecto, præſtari (nam ſæpiuſculè rei, dum adhuc in fieri, teſtis oculatus fui.) Quod fit, priuſquam appareat ſub Angularis* Chryſalidis *Larvâ, hoc modo, Eruca caput ſuum deorſum reclinans, & locum, ubi ſe ſuſpendere vellet, tangens, filum ex utrâque corporis parte figit, tranſverſim illud trahens, dein caput reducens, ſeque pendulo ſitu ponens, vibrat agitatque ſeipſam, adeóque pelliculam Erucalem frangit, quâ avolante,* Chryſalis *apparet, ita pendens, prout deſcribitur.*

3. *Egometipſe Liquorem illum rubrum, e Papilione N. 2. memorato decidiſſe ſæpenumerò obſervavi; necnon & parilem etiam conſpexi, tametſi colore minimè rubrum, e muſcis*

muſcis quamplurimis, ex Chryſalidibus *excluſis, prodiiſſe: Hujus Liquoris interventu corpora ſua intumeſcere faciunt &* Chryſalidum *ſuarum folliculos reſpectivè diffringunt. Hujus etiam Liquoris quædam quaſi irroratio alas ſuas adeò madidas reddit, quando primò excluduntur & prodeunt: Vide in vitâ* Peireskii *de ſanguine e cœlis pluente, quod huc relationem habet.*

4. *Muſcæ octoginta duæ, hìc memoratæ, fuerunt cujuſdam* muſcæ Ichneumonis *progenies, in Erucæ corpus delata; quo pacto autem illuc deferatur, fateor me adhuc non ſatis aſſequi; ſed conjecturam facio, illud ab* Ichneumone Parente *fieri. Hoc auſim affirmare, audacia hæc Animalcula fœtus ſuos in ipſis Araneārum ovis frequenter deponere. Porrò, conſpexi illa, arborum protuberantias, linguâ ab ore exertâ quaſi terebro, perforare, quod dubio procul faciunt, vel ut Termitem ſive Teredinem intra Tuberculum Arboreum delitescentem depaſcant deſtruantque, vel ſaltem ut vermiculos eos propriâ ſpecie imprægnent. Plura de hâc re habeo, in uno quodam ex Actis Philoſophicis a D.* Oldenburgo *menſtruatim editis: Quicquid ſit, certiſſimum eſt, muſcas haſce eſſe* partum *ſolummodo* nothum: *Obſervatu etiam dignum eſt, 82 muſcas has e* Chryſalide *erupiſſe, qnod itidem quid inuſitatum audit.*

NUM.

NUM. IV.

PRæter opinionem & expectationem meam nonnunquam Metamorphôſes inſectorum fieri obſervavi, interque alia inſectorum genera in erucâ Num. 4. deſcriptâ. Nutrivi eam foliis ulmi, quibus delectabatur; caput habet deforme ac rude, cùm reliquæ erucæ ferè omnes fulgeant inſtar ſpeculi. Purgavit ſe ac mutari cœpit ſeptimo Junii, ac vigeſimo die ejuſdem menſis prodiit formoſiſſimus Papilio, elegantiſſimis coloribus notatus, quatuor alis præditus, qui totam hyemem ſuperſtes manet, niſi aut devoretur ab aliis beſtiolis, aut aranearum reticulis ſtranguletur.

Author noſter, per univerſum operis ſui decurſum, diligenter obſervavit, Erucas exactè ſeſe excrementis omnibus purgare, priuſquam

quàm transformentur, & Chryſalidum larvâ appareant. Dixi antea, Erucæ Larvam huic uſui inſervire, ſcilicet, ut diverſo cibo uteretur, quo Papilio veſci non potuit. Ideoque omnino rationi conſentaneum eſt, Erucam veteri cibo prorſus inanitum iri, priuſquàm novæ menſæ accumberet. Quinimò in hâc opinione ſum, Erucæ metamorphôſin non eſſe tantùm ſuperficialem, ſed altiùs penetrare, Inteſtinis etiam, perinde ac oris organis, transformationem aliqualem ſubeuntibus: Cum interior Inteſtinorum ſuperficies ſit altera pars etiam exterior in cunctis Animalibus.

NUM. V.

POſtquam huic Erucæ multas & varias edendas præbueram herbas, quas omnes faſtidiebat, tandem urticas appoſui, ſuſpicio enim mihi inciderat, eam iis fortè delectari. Quod cùm feciſſem, cum maximâ admiratione vidi, quam gaviſam iis, & lætam caput iis affricare, non ſecùs ac ſi earum adventum

NUM. IV.

PRæter opinionem & expectationem meam nonnunquam Metamorphôſes inſectorum fieri obſervavi, interque alia inſectorum genera in erucâ Num. 4. deſcriptâ. Nutrivi eam foliis ulmi, quibus delectabatur; caput habet deforme ac rude, cùm reliquæ erucæ ferè omnes fulgeant inſtar ſpeculi. Purgavit ſe ac mutari cœpit ſeptimo Junii, ac vigeſimo die ejuſdem menſis prodiit formoſiſſimus Papilio, elegantiſſimis coloribus notatus, quatuor alis præditus, qui totam hyemem ſuperſtes manet, niſi aut devoretur ab aliis beſtiolis, aut aranearum reticulis ſtranguletur.

Author noſter, per univerſum operis ſui decurſum, diligenter obſervavit, Erucas exactè ſeſe excrementis omnibus purgare, priuſquam

quàm transformentur, & Chryſalidum larvâ appareant. Dixi antea, Erucæ Larvam huic uſui inſervire, ſcilicet, ut diverſo cibo uteretur, quo Papilio veſci non potuit. Ideoque omnino rationi conſentaneum eſt, Erucam veteri cibo prorſus inanitum iri, priuſquàm novæ menſæ accumberet. Quinimò in hâc opinione ſum, Erucæ metamorphoſin non eſſe tantùm ſuperficialem, ſed altiùs penetrare, Inteſtinis etiam, perinde ac oris organis, transformationem aliqualem ſubeuntibus: Cum interior Inteſtinorum ſuperficies ſit altera pars etiam exterior in cunctis Animalibus.

NUM. V.

POſtquam huic Erucæ multas & varias edendas præbueram herbas, quas omnes faſtidiebat, tandem urticas appoſui, ſuſpicio enim mihi inciderat, eam iis fortè delectari. Quod cùm feciſſem, cum maximâ admiratione vidi, quam gaviſam iis, & lætam caput iis affricare, non ſecùs ac ſi earum adventum

tum gratulari vellet: tam avidè etiam, tantâque cum oblectatione eas vorantem, ut nihil ſuprà.

Quùm eam per aliquod tempus Urticis alueram, ſeſe hæc v. Non. Octob. ad tranſmutationem componebat, eâ formâ, quâ Num. 5. delineatam conſpicere eſt, ſub inverſo vitro, & ei medio affixa, & deorſum dependens. Ubi attingebatur in tranſmutationis ſtatu, fortiter adeò ſe movebat, & corpore vitrum repercutiebat, ut in eo ſonitum daret, quaſi pulſati tintinnabuli, tam diu durantem, ut intereà temporis, dum ſonabat, quadraginta numeros numeraſſes. Idcircô κωδωνίζουσα per me licet eam nuncupari.

Ex eâ xii. Cal. Decembr. in lucem prorupit aligerum animalculum, adſpectu pulchrum, Pavoni concolor, uti aureliæ ſeu papiliones illi

illi longipedes, quos noſtrates pueri vulgò *Schoen-lappers* vocitant: vivebat hoc impranſum, atque incænatum per continuum xl. dierum ſpatium, tandemque expiravit; ſiquidem ſolita, quâ veſceretur, eſca mihi erat incognita.

Eruca hæc (perhibente Goedartio) multa Plantarum genera, in eſcam ſibi allata, repudians, urticam ſolam depaſceret. Addo pro mantiſsâ, illam potius fame perituram fuiſſe: Quod non provenit ex diverſâ Organorum Oralium Fabricâ (prout ſuprà dictum eſt, inter Erucæ & Papilionis eſcam) ſed (reverâ) ex delicato Palati & Guſtus ingenio. Quæ quidem obſervatio fortean in uſus non vulgares promoveri poſſit, ad Plantarum virtutes detegendas.

Non datur methodus, meâ ſententiâ, melior aut exquiſitior, ad internoſcendum, quodnam Ligni genus Navibus vaginandis *optimè conducat, quàm aſciata politáque quædam ejuſdem Fruſta, inſtar Talearum anchoris affixarum, in aquis & fluminibus, vermibus plurimùm moleſtatis, ponere. Illud enim Ligni genus, quod Vermes repudiant, ſummâ cum*

ratione

ratione in uſum deſignatum eligendum eſt. Quid quod India *utraque, pluribus Lignorum generibus abundat, quàm* Europa *noſtra; adeò ut veriſimillimum ſit, hoc vel illud genus ibi reperiri, a cujus eſu illa Vermis Fluviatilis ſive Marini ſpecies prorſus abhorreret.*

NUM. VI.

HOc erucarum genus, quod tibi Num. 6. offertur, pacificam inter ſe vitam agit; ſed præter modum meticuloſum eſſe deprehenditur; piloſum inſuper & ſenſu acuto præditum.

Alimentum earum folia ſunt Cardui Benedicti, cujus particulas ſubtiliores & molliores avidè conſumunt, ſed duriores, quibus reliquæ tanquam officulis inter ſe connectuntur ac firmantur, non attingunt.

Circa veſperam reticula parant, quibus ſe contra nocturnum frigus tuentur; coloris nigri ſunt, habentque

que particulas nonnullas acutas ac ſpinoſas, nigras quoque, ſed flavedine quâdam commixtas. Eruca hæc ad ſubeundam Metamorphôſin ſe compoſuit decimo nono Julii, 1665. in quâ figuram recepit valde nitidam, atque aureo quodam colore temperatam, ex quâ deinde prodiit ſeptimo Auguſti papilio elegantiſſimæ formæ, diverſis coloribus tinctus, qualem tibi offert tabula appoſita; vixitque poſtea ſine alimento, uſque ad undecimum ejuſdem menſis.

Status medius, ſive Larva Papilionis, Græcè Chryſalis *appellatur, ſive res deaurata, ut ex notatione Nominis patet. Latinè non datur nomen, (quod ſciam) quo exprimatur: Ego tranſtuli* Aureliam. *Utcunque Latini Bruchum vocant* Erucam: *Quod quidem vocabulum (ut ex loco quodam in* Vitruvio *conjector) veteri* Tuſcorum *Linguâ* Viride æris *ſignificans, inde transfertur ad Bruchum deſignandum. Sunt enim Bruchi quidam, quos ipſe* Languedociæ *agens conſpexi,*

conſpexi, qui communi quodam Tithymalli *genere paſti, colore cæruleo ſive cyaneo inſigniter pinguntur. Adeóque, ſicut paucarum* Chryſalidum *deauratio, univerſis nomenclationem dedit, pari etiam ratione unius cujuſpiam Erucæ color cæruleus, cunctas eodem nomine inſignivit. Quod ad deaurationem ipſam, nil aliud eſſe autumo, quàm ſucci cujuſdam, inter Erucæ pelliculam,* & Chryſalidis *teſtulam, quam tegit, evaporati, ſpumam ſive recrementum.*

NUM. VII.

QUamquam paucæ ſunt Erucæ, quæ braſſicas amant, hæ tamen, quarum effigiem exhibet Num. 7. iis veſcuntur, nempe albis, ſed rubras non attingunt. Maximè iis inimicum eſt frigus humidum, quo brevi tempore conſumuntur, adeò ut præter cutem nihil ſuperſit. Duplex habent tranſformationis ſuæ tempus, ſi enim æſtivo tempore contingat, brevi temporis intervallo abſolvitur; ſed

ſi

ſi autumnali aurâ incipiat, uſque ad ſequentem æſtatem durat. Utrámque mutationem ipſe expertus ſum. Una enim harum erucarum ad Num. 7. delineata ſe ad tranſmutationem compoſuit primo Julii, ac duodecimo die Auguſti ex eâ prodiit papilio albus in eâdem tabulâ cum tranſmutationis modo repræſentatus. Alia autem ejuſdem ſpeciei eruca ad tranſmutationem ſe contulit decimo ſeptimo Decembris, inque eâ permanſit uſque ad decimum quintum Maii ſequentis anni, eoque tempore erupit papilio priori per omnia ſimillimus.

Sed alio anno in iiſdem erucis, mira, imô vix credibilia aut antè audita, expertus ſum. Nam aliquot hujus ſpeciei erucas ſimul ſumpſi, eaſque alui donec ſponte ſuâ, relicto alimento, ſe ad quietem

& generationem applicarent. Poſtquam autem quatuor dies immotæ jacuerant, vidi ex cute ſingularum erucarum, ab utroque latere, erumpentes quadraginta, in quibuſdam quinquaginta, in aliis quinquaginta duos Vermiculos: qui ſimulac nati erant, ſibi reticula quaſi ex ſerico flavo contexebant, incipientes ab imo uſque ad capitis ſummitatem, ibique occludebantur. His reticulis ſe conſervant, ne frigore hyberno lædantur. Poſteà eruca, ex cujus cute prodiiſſe dixi illos Vermiculos, omnia eorum reticula connexuit, ne ab invicem diſſiparentur, ſed æſtivo tempore, uno in loco, ac ſimul in muſcas converterentur. Eruca, non obſtantibus omnibus illis vulneribus ex quibus 40. 50. aut plures Vermiculi eruperant, ſine alimento poſteà vixit in muſæo meo, abſque alimento à decimo

decimoquarto Septembris uſque ad vigeſimum octavum. Octobris autem die nono, ex Vermiculis antè deſcriptis, totidem exiguæ muſcæ provenerunt, quarum omnium vita ſpatio ſex dierum finita fuit.

Alia ejuſdem ſpeciei eruca, poſtquàm ſe ad tranſmutationem accinxerat, inque eâ morata fuerat diebus quatuordecim; ex fronte ejus eruperunt duo Vermes, atque hi Vermes in conſpectu meo, ſpatio unius & mediæ horæ mutati ſunt in ova coloris ſuccinei; deinde poſt dies tredecim ex utroque ovo prodiit muſca mediocris magnitudinis. Hæc ipſe expertus ſum, & non ſine admiratione obſervavi; quia præter, imò contra, conſuetum naturæ ordinem eſſe videtur, ex uno eodemque animali, diverſæ ſpeciei prolem generari; atque unum idemque brutum, tribus di-

verſis modis procreari; quæ tamen in hiſce erucis, ex iis quæ brevitèr enarravi, manifeſta fiunt.

1. Duplex habent Transformationis ſuæ tempus.] *Ratio eſſe poteſt, quòd Erucæ hæ (ſicut ab Authore noſtro obſervatum eſt) ſint naturæ tenerioris, adeò ut ſi in aliquibus earum Tranſmutatio non peragatur ante ingreſſum cœli frigidioris, in ſtatu illo medio ſive Larvatione durant uſque ad ſequens ver: alitèr, ſi eò temporis in Papiliones transformarentur, atque ova excluderent, frigoris aſperitas progeniem abſumeret. Dantur aliæ, (expertus loquor) quæ perpetuò Erucarum formâ excluduntur, æſtate declinante, cùmque nec tempus nec eſcam habeant, ad illas in plenam maturitatem perducendas, in ordine ad mutationem ſuam, ſymbola inter ſe conferunt ad Telam conficiendam; &, durante totâ hyeme, examen minutulum perſtant: Foliis autem egerminare ac prorumpere incipientibus denuò prodeuntes, de novo veſcuntur, grandiores fiunt, & metamorphôſin ſubeunt, ſicut vulgaris Eruca, ſepium incola, &c.*

2. *Numeroſa ea ſoboles ſunt* Ichneumones; *Binæ alteræ ſunt cujuſdam Muſcæ* Carnivoræ

ræ *ſpecies. Utrique hi ſunt partus (inquam) ſpurii, nullatenùs ab Erucâ geniti, ſed a proprio quiſque parente; Erucâ, ipſos geſtante, pro cibo tantùm ſuo, non pro matre, ſe habente. Obſervandum etiam eſt,* Muſcas Carnarias, *ipſam Erucæ ſive* Chryſalidis *ſubſtantiam, ceu cadaver emortuum, depaſcere* Solere; *porrò,* Ichneumones *parentem ſuam non deſtruebant, nec cibos corruptos amant, fortaſſis, ipſe Erucæ cibus, ab eâ digeſtus, nutrimentum illi ſuppeditaverit, & non propria ejus viſcera, ſiquidem ipſa per multos dies, poſt miram hujus ſobolis eruptionem, ſupervixerit. Ego ipſe Erucas plurimas hujuſce ſpeciei diſſecui, in quibus nonnullos ex hiſce vermibus offendi,* quomodo *verò & quando in earum Corpora deveherentur, nondum mihi conſtat.*

3 *Hoc eſt peculiare & perquàm curioſum, quod refert Author noſter, ni hallucinatus ſit in re; Erucam ipſam reticula univerſim omnia in unum quaſi faſciculum connexere & conglobare, planè ac ſi hanc ſobolem, ceu Propriam, agnoſceret; hoc tamen non aſſurgit ad Argumenti probatorii vim: Idem enim exemplum in Avibus videre eſt; nam Avicula illa, quam* Currucam *vulgò vocitamus maximâ cum cura & affectu* Cuculi *pullum quà excludet, quà educabit.*

NUM. VIII.

CUm Braſſicæ Sabaudæ & cauliflorae condenſari incipiunt, plerúmque circa eas papiliones quidam reperiuntur qui ſuper eas ſemina ſua deponunt: quæ poſteà calore ſolis atrahuntur, adeò ut capita ſurſum vergant, ac paulatim erucæ erumpant, quæ prædictas braſſicas conſumunt. Æſtum ſolis facilè ferunt, ſed diuturnas pluvias minimè, iis enim brevi tempore adeò contabeſcunt, ut nihil præter cutem ſuperſit. Eruca hæc, Num. 8. ſe purgavit, & ad mutationem compoſuit tertio Auguſti, & decimo-ſeptimo ejuſdem menſis, prodiit ex eâ Papilio, Num. 8. delineatus, eſt autem hic papilio exigui ac tardi motus, miniméque agilis, licèt totam hyemem & ultrà vivere deprehendatur. *Pa-*

Papilionem, in ipſo ova ſua in Braſſicæ folium excludendi actu, cautè obſervavi: Quod hoc modo præſtatur, Papilio folii margine ſedens, caudamque ſubter folium reclinans, (extremitate Caudæ folium tangendo) ovum unum excludit, tunc alterum, dein tertium, donec omnia ad libitum excluſerit. Sed univerſa hæc ova eo ipſo momento, extremis eorum minoribus ſurſùm tendentibus, figuntur, non autem lateralitèr excreta ſunt & poſteà, calore ſolis, ſurſùm verſa, ſicut Author noſter affirmare videtur.

SECT. II.

De Papilionibus planis alis *ſedentibus, quorum Erucæ mediis Cruribus carent, quique ab* anſatorio *incedendi modo, a nonnullis* Geometræ *vocitantur.*

NUM. IX.

NUllum novi erucarum genus quod difficiliùs arceri poſſit eo, cujus formam exhibet Num. 9. longo enim tempore (licèt magnâ diligentiâ adhibitâ) expiſcari non potui, quomodo, aut quibus in locis ſemen ſuum dejiciat; tandem verò expertus ſum, illud ſuper folia quædam deponi, eaque tunc pilis

9.

10.



11.

12.



13.

14.



15



16.



17.

lis quibuſdam aut lanugine obduci, animalculi inſtar, eâque ratione à frigore tutum conſervari: apertis autem foliis iſtis, inveni ſemen viride. Veſcuntur hæ erucæ foliis groſſulariæ ſive uvæ criſpæ, nec non foliis ribeſii albi, nigri atque rubri. Ad transformationem ſolent ſe componere circa finem Junii, figuramque transformationis, ob peculiarem ejus elegantiam in hoc Num. 9. expreſſi. In hâc transformatione manſit uſque ad 13. Julii; quo die erupit exiguus papilio, albus ſed nigris maculis conſperſus; ubi manu apprehenditur, aut cadere permittitur, ſine motu aliquamdiu atque inſtar mortui conſpicitur.

Hiſtoria hæc, de Erucis, ova excludentibus, eſt valdè erronea; ideóque in ipſo Textu errorem correxi, utpote quem Latini Tradu&oris lapſu ſeu incuriâ irrepſiſſe crediderim.

Eruca

Eruca hæc, non Folia tantùm Mali Præcocis, ſed & virentem & immaturum ejuſdem. Fructum exedit, prout à me obſervatum eſt.

Ex Tranſmutatione unius harum Erucarum, ipſe imaginatus ſum me ſcarabæum parvulum, colore viridem, nactum fuiſſe: Sed de hoc plùs alibi.

NUM. X.

TRadita mihi in manus eſt à duobus Dominis, amicis mihi addictiſſimis, hæc Eruca, quam Num. x. inſculptam habens, pridie Id. Octob. cum precibus, ut illius vivendi rationem, & tranſmutationem obſervare vellem; quod me facturum pro virili recepi: & ſiquidem me latebat, quo veſceretur alimenti genere, omnem adhibui operam, quò id inveſtigarem, variique generis alimenta, uti frondes, folia, herbas, & alia quamplurima, quibus Erucæ victitant, ipſi appoſui, ſed nihil eorum ipſius palato

lato allubeſcebat, imò nihil primoribus, quod aiunt, labris avebat guſtare; non ſecùs ac nauſeabundi ægri, qui omnem cibum ac potum horrent. Poſteà verò, ex ejus colore, qui ſambuci foliis viſu non erat diſſimilis, ſuſpicari cæpi, ea ipſi fortaſſis non ingrata fore, & experientiâ doctus, Erucas nonnullas herbis & foliis, quibus nutriuntur, eſſe concolores, Sambuci folia ipſi comedenda porrexi. Hæc vorabat, & libens, prout mihi videbatur, ſed ſemèl duntaxat de die, veſperi nempè, poſt Solis occaſum, ubi tenebræ ingruebant, circa mediam ſextam; & quotieſcunque cænabat, ad ſatietatem jam paſta ſe rectà extendebat & in altum. Hoc in ſitu eam nulli rei magis appoſitè comparare poteram, quàm bacillo ex faſcibus faginis deſumpto à primo etiam intuitu pedes obſervare

ne-

nequibam, nec tamen iis deſtitutus erat; quocircâ eos expinxi quos in anteriori corpore habebat, in eo etiam illi erat prominens aut eminens tuberculus, cujus beneficio iſti quodcunque attingebat, ità ſe annectebat, ſugens continuó, inſtar hirudinis, ut vix divellendo eſſet, imò ſe potius in fruſta diſtrahi paſſa fuiſſet, quàm divelli; ità tenax etiam ipſi poſtremum corpus erat; namque Aurifabri forcipem referebat, quâ ſolet crucibula foco eximere; & poſtremam corporis partem ad modum clauſæ forcipis claudebat; atque hoc in ſitu, & poſiturâ quandoque totum diem deſidebat, tanquam inanimis, & immota, quantumvis quaſſata, & infeſtata; ſed proſerpens longos meabat paſſus, rectà ſeſe, quanta quanta erat, extendens, poſterius corpus attrahens, & adducens ad ante-

anterius, hoc ſe modo promovens ſimilis anſæ ferreæ, ſeu fibulæ duplici eſſe videbatur; atque ità ſolebat ambulare: 6. autem Calend. Novembr. cutim exuebat, uti id in more poſitum eſt multis Erucis, tranſmutationis ſtatum ingreſſuris, atque pendula capite deorſum vergebat ab horâ 6. matutinâ, ad 8. veſpertinam quâ ſolebat ſemper proſerpere, noctuque edebat; & interdiu dormiebat. Quùm jam Sambuci frondes deciderant, atque priorem virtutem, & ſaporem arefactæ amiſerant, edere ampliùs renuebat primùm 12. Cal. Decembr. atque integram jejunabat hyemem, nihil agens aliud, præterquam quòd ſingulis ſe noctibus movebat loco, unâ nocte pendens capite deorſum, & alterâ ſurſum, & ſemper rectà extenſo corpore. ità ſe oblectabat, & temporis fallebat tædium.

dium. Per iſtud, quo eam apud me habui, temporis ſpatium, nunquàm ulla in illâ potui vitæ indicia de die animadvertere, præterquàm eo, quo mihi dabatur; & eò temporis adeò exigua & exilia, ut non niſi beneficio luminis accenſi videre potuerim.

Undecimo Cal. April. anni ſubſequentis, Sambuci quædam ipſi foliola apponebam, ſi fortè edendi jam foret illi animus, rebar enim, quæ perennem jejunârat hyemen, illi jam orexim ſurrexiſſe: verùm necdum eſuriebat, namque ne guſtare avebat oppoſita. Poſtridie Cal. Maias frondem jam adultam, & de Sambuco decerptam ei objeci comedendam, veſperi autem eam edentem deprehendi; verùm triduo antè, quàm denuò ſeſe ad edendum accingeret, jam ex pituitâ, quæ ex ore ejus ſtillaverat, filum con-

contextum & arenam, quam juxta ipſam poſueram, depoſuerat: filum autem illud longum erat, & illi adhærebant arenulæ exiguæ quamplurimæ, non ſecùs ac margaritulæ ſeu concheæ baccæ perforatæ chordulis trajectis ſolent inhærere pendulæ: filum hoc deinde illa anteriorum pedum beneficio ſenſim ad os nôrat adducere, atque arenulas de filo pendulas deglutiebat, ex meo judicio, & conjecturâ, ut illæ ventriculum ipſi detricarent, & detergerent, quemadmodum malè habentes, & parùm ſtomacho valentes quandoque ſolent piſciculos exiguos, unà cum ſpinulis ſive oſſiculis & aculeis, putà anguillas, mandere, & ventriculo mandare, ut illum defricent, & mundent. Verùm & hoc obſervatione in eâ dignum animadverti; nempè jam factam eam tertiâ parte majorem, craſſiorem

craſſiorem ac longiorem priuſquàm occipiebat edere, quam fuerat anteà: ſaturam autem ſe in arenam deponere, & corpuſculum agitare & conquaſſare, ut ſumptum à ſe alimentum deſcenderet: xv. Cal. Jun. poſtremam corporis partem vitro, cui incluſa erat affigebat, capite ſuo deorſum pendula, ſeque foliis inveſtiebat, ex iis, & textâ à ſe telâ corpori circumtexto reticulo in formam ſacculi; in quem exutâ cute & à vitro ſoluto poſtremo corpore cui id affixerat, toto ſe demittebat, & deſcendebat corpore, atque hac ſe poſiturâ & ſitu ad tranſmutationem accingebat. Die poſtero jam eam obtinebat formam, quâ in tabulâ expictam videre eſt: vii. Calend. Quintil. in lucem edebat aureliam ſeu papilionem inſolitum & mirandum viſu, colore ſubflavum, ſeu chryſocomum,

mum, qui corpuſculum non levitèr concutiens ipſis Non. Menſis dicti expiravit. Erucam hanc ſeu vermem, ſi tibi illum ab aliis diſcernere ſit volupe, licebit nuncupare τὸ ἔκτασιν, ſeu *Extenſorem*, ſiquidem ſe rectà ſolet in longitudinem extendere; aut etiam *Grallatorem*, ſeu καλοβάτην, eò quòd proſerpens magnis incedit paſſibus & gradus facit grallatorios.

Fœlicitèr quidem ceſſit alea, quòd Author noſter, in Folia, verum Erucarum hàrunce cibamentum, ſortè fortunâ inciderit; tametſi illud imaginatione potiùs, quàm verâ aliquâ ſimilitudine factum eſt.

Rationi adeò congruum eſt (meâ quidem ſententiâ) quàm quod maximè, eum, qui damna navium, ne a vermibus exederentur, efficaciter prævenire vellet, Hiſtoriam illius Inſecti, quod tabulis earum præjudicatur, & particulatim cibationis ejus modum, probè intelligere debere. Certiſſimum eſt, vermes, æquè ac Animalia perfectiora, diverſi genii palatis præditos eſſe, quinimò & morituros

 potiùs,

potiùs, quàm hâc vel illâ herbâ lignove vitam producturos. Adeóque Lignum illud, a cujus eſu (Experientiâ judice) refugere deprehendentur, idipſum dubio procul ad Tabulas navium conficiendas, eaſve vaginandas, *erit aptiſſimum. Cùm verò hoc grande ſit* Deſideratum, *operæ pretium eſſet, numeroſas Arborum per Europam, imò Indiam utramque, naſcentium varietates explorare, quod facilè fieri potuit, earum Taleolis aut Aſſeribus, in Fluviis aut Sinubus marinis, maximè vermibus moleſtatis, poſitis & poſteà extractis, ut ſuperiùs adverti.*

NUM. XI.

VEſcuntur quidèm hoc genus Erucæ ſeu vermiculi, quorum unum Num. xi. inſculptum, & ad vivum expictum vides, pyri frondibus ; ſed Roſetorum foliis magis delectantur : verùm non admodùm edaces ſunt, at prandentes per intervalla quieſcunt, ſeſeque quandoque extendunt, affixi folio poſtremo corpore. Saturi ſe ſolent

lent eâ formâ deponere, quam videre eſt in tabulâ: non admodùm gaudent locum commutare; de folio in folium aliud ſe non conferunt ſerpentes, utì mos eſt multis aliis Erucis: frondem foliumve, quod primùm arripiunt, non facilè deſerunt, niſi ferè penitùs exeſum: eleganti ſunt colore, ſuperiori corporis parte aquilo ſeu fuſco, inferiori flavo, verùm non adeò pulchri poſt, quàm ante paſtum; ſiquidem cute admodùm ſunt tenues, atque per eam, viride, quod ſumunt, alimentum, tranſlucet, coloreſque varios, quibus fulgent, offuſcat. Antequàm ſe ad tranſmutationem diſponunt, ſupremum corporis ſubrubrùm plerumque colorem aſſumit.

Hæc Eruca, per aliquod à me tempus nutrita, tranſmutationem occæpit ſuam ipſis Id. Jun. eo ſitu,

quo eam in tabulâ expictam conſpicis, & v. Cal. Decemb. enixa eſt ſpurium papilionem ſeu aureliam nigris in tergo variegatam & diſtinctam maculis plurimis, non ſecùs ac deſectæ ac levigatæ à Bibliopégis extremæ librorum oræ nunc rubris, nunc viridibus punctulis, ſeu maculis ab illis conſperſæ videntur: verùm hæc quatriduum tantùm vixit jejuna, quandoquidem nihil objecti à me alimenti ipſius palato ſapiebat, meque latebat, quâ poſſet eſcâ vivere.

Verùm aliam adhùc habebam hujus generis Erucam; ex cujus corpore poſteriori, antè quàm ſe ad tranſmutationem accingebat, duo proſerpebant vermiculi xiii. Cal. Jun. colore ſubobſcurè nigro, ab exortu, qui intra duarum horarum ſpatium ovi formam aſſumebant, matrici concolorem. Quinto autem

autem Id. Jun. ejuſdem anni ex ovis his duæ prodîbant in lucem muſcæ, quæ biduum duntaxat ubi vixerant, emoriebantur, totæ horrentes, & trementes corpore veluti præ frigore febrientes: eò temporis Eruca quóque vitam cum morte commutabat. Poſtquàm autem Eruca hæc vermes illos enixa fuerat, paulatìm ea magis magíſque vergebat ad interitum, imò ſimul cum vermibus excretis vitæ vigorem ſuæ mihi viſa fuit ſensìm excernere & amittere; ab illo enim tempore nec prandebat, nec cænabat ampliùs.

Huic vermi, ſiquidem rubrum ipſi caput eſt & rectà ſe extendit, ubi cibum capit, per me tibi licet aſſignare nomen τῷ Διατενῆ ἐρυθροκεφάλῳ, ſeu *Extenſori rubricipiti*, ſi hunc ab aliis vis diſtinctum; eorum etiam numero accenſere poteris, quos

ruſtici noſtrates *Geometras* appellant.

Ego aſſero, binos hoſce vermes, Ichneumonum *quorundam Larvas, non autem* Muſcas carnarias, *fuiſſe, eâ ipſâ de cauſâ, quòd Eruca eruptioni ſuæ ſupervixerit, ſiquidem muſcæ utique cadavera ſive carnem morticinam depaſcantur.*

NUM. XII.

ERucæ Num. 12. nutriuntur foliis ribeſii rubri. Alterius planè formæ ſunt ac reliquæ erucæ, quæ pedes ſolent habere in medio corporis, hæ verò in extremitatibus, iiſque vim exercent non exiguam. Ubi locum mutant, atque ab uno ramo in alium aſcendere conantur, pedibus illum firmitèr apprehendunt, corpus ſurſum erigunt, ſerpentis inſtar, eoque modo tentant experiunturque, an alium ſibi locum comparare queant;

ant; adeò tenaciter ſe pedibus prædictis retinent, ut vix à corpore, cui adhærent, divelli poſſint. Ad tranſmutationem ſe hæc eruca compoſuit, corpore priùs exactè mundato, primo Aprilis, ac vigeſimo quarto Julii ex eâ prodiit papilio erucæ ſuæ in Num. 12. appoſitus, tener & brevis vitæ.

NUM. XIII.

VIridis hæc eruca Num. 13. cum antecedentibus eodem utitur alimento, alnorum nempe foliis. Benè paſta, quantâ poteſt vi, totum extendit in longitudinem corpuſculum, eoque ſitu quieſcit uſque in diem ſequentem. Inter prorependum, anteriora ſua membra poſterioribus conjungit, reliquo corpore, harpaginis ſeu fibulæ viridis inſtar, in orbem contorto?

deinde in longitudinem expanditur; ac poſteà denuò, ut ante, ſitum ſuum inflectit, & ſic porrò, donec ad motus terminum pervenerit.

Naturalem ſibi Metamorphôſin ſubire cœpit ſexto Octobris 1663. ac primo Maii ſequentis anni 1664. ſub ſpecie papilionis pulcherrimi in appoſitâ tabulâ depicti, denuò comparuit. Sed hujus originis papiliones pulchritudine atque elegantiâ corporis multùm ſolent inter ſe differre. Hìc ex formoſiſſimis unum ſelegi, quem benigno Lectori ſuis volui ad vivum coloribus depictum exhibere. Agilis fuit ſupra modum, volatuſque velociſſimi.

NUM.

NUM. XIV.

ERucæ, ex quorum genere unam Num. 14. ad vivum expressam vides, lactucæ admodùm amantes sunt, ubi viret in hortis; sed marcescentem aut flaccidam ne quidem gustare avent, utì & alia multa insecta eam fastidiunt: Sicut aliæ Erucæ viridans in agris gramen avidè comedunt, sed desectum primoribus labris, ut aiunt, ne attingunt quidem; ità & hæ lactucas aliquantisper evulsas, & flaccescentes cum nauseâ respuunt. Ideo iis τῶν νεοθριδακοφάγων, seu φιλόψων nomen feci.

v. Id. Jun. suam hæc Eruca metamorphôsin inchoabat, eâ formâ, quâ expressam in Num. 14. videre est, atque viii. Non. Sextil. papilionem enixa est, colore canum, & longum

longum gerentem in fronte aculeum, ſive extenſum radium; qui unicum duntaxat diem vivebat jejunus; ſiquidem nihil alimenti, quod ipſius palato allubeſcebat, illi nôram objicere: attamen hoc papilionum genus libentèr circa flores verſari, atque circum & ſuper eos volitare deprehendi, aculeum, dum volant, in flores demittentes, atque ità, ut ſe non deponant, mel ſive dulcem humorem exugentes: ſedentibus enim iis, præ nimiâ pedum brevitate, aculeo non liceret uti. Hoc in cauſâ eſſe arbitror, cur quotieſcunque alimentum è floribus exugunt, nunquàm illi ſedere, ſed ſemper volare conſpiciantur. Culicum quoddam genus, in inferioribus palmarum aliarumque etiam arborum, frondibus è rore ducit originem, qui longo quoque aculeo inſtructi ſunt, & ſe-

dentes

dentes eo possunt uti, quoniàm longi iis à naturâ pedes sunt dati, & in posteriori corpore præsertim, adeò ut eum, ubicunque libuerit, commodè possint figere: at alitèr cum hisce comparatum est, quibus pedes sunt breviores, adeò ut aculeus iis sedentibus non sit usui, at duntaxat volantibus: Idcircò hisce papilionibus nomen esse posset τοῖς ἐσθιοπέτεσι, quòd volantes edant, & edentes volent.

Papilio hic celerrimus est in volando, perfrequens est in hortis inter Caryophylla *majora minoráque, mense Julio. Memini me alteram eorum speciem, parvam quidem, sed admodùm formosam, in horto medicinali D.* Morgani *apud* Londinum *semèl cepisse; solitus sum eas* Muscas Accipitrarias *vocare, propter egregiam velocitatem.*

Author noster, rationem, quòd volando cibos captent, in disparem inter Crura, & Linguam vel Oesophagum proportionem, me Judice, probè conjecit.

NUM.

NUM. XV.

VElociſſimè currit hæc eruca, quovis enim paſſu tantum ſpatii conficit, quanta eſt integra corporis longitudo; quâ tanquam perticâ aut circino quodam, loca occurrentia ſolet dimetiri. Invenitur plerumque circa flores nomine *Thlaſpis* inſignitos, quorum herbâ foliiſque magno appetitu nutritur. Nocturnis horis edit, diurnis autem intervallis immotus planè quieſcit, etiamſi pellatur, aut malè afficiatur, nihilominùs quietam ſe continet abſque ullo manifeſto motu.

Ad ſubeundam naturalem Metamorphôſin ſe compoſuit undecimo Auguſti 1664. primoque Septembris papilionis formâ comparuit, Num. 7. deſcripti, nitidi ſatis, rapidique

rapidique volatus, ſed non niſi fulgente luce candelæ, aut ſimili aliquo artificiali ſplendore, volare conſuevit. Inter volandum uſus eſt corporis motu planè inſolito, tanquàm ſi capite deorſum atque in circulum perpetuò circumvolveretur.

Nocturnis tantum horis edit.] *Animalia hæc, perinde ac cætera, naturali quodam inſtinctu in ſui conſervationem inſtruuntur; ideóque tunc temporis ſolùm eſcam capiunt, quando maximè ſecurè fieri poteſt, ſcilicet noctu, cùm nullum ſit periculum ab Avibus Inſecti-voris.*

NUM. XVI.

ERuca Num. 16. pro alimento ſuo utitur hyſſopo, & circa eam præcipuè reperitur quando floret; ſed ſimulàc quis herbam illam contingit, decidit in terram eruca, eamque penetrat, atque hâc ratione

ratione ſibi latibulum quærit. Poſtquàm diu erucam hanc alueram hyſſopo, ad tranſmutationem ſe accinxit ſeptimâ Auguſti die, ac poſtquàm in transformationis ſuæ ſtatu dies aliquot peregiſſet, per cutem ejus eruperunt tres vermes, qui exiguo temporis ſpatio in tria ova commutati fuerunt, atque ex unoquoque ovo octavâ die Septembris muſca prodiit, quemadmodùm in Num. 16. diſtinctè omnia expreſſi. Muſcæ illæ ultra dies tres vitam non protraxêre.

Hæ erant Muſcæ Carnariæ, *ac proinde* Chryſalis *putrefacta fuit, & Hiſtoria hæc nondum abſoluta ; non enim exhibentur Papiliones, quos cum ratione expectâſſe debueramus, Larvâ idem nobis declarante. Hæreo planè, ut fieri poſſit, in Borealibus noſtris Europæ plagis, ubi Plantæ tales, qualis Hyſſopus, &c. non naturaliter naſcuntur, dari tamen* Inſecta, *quæ illis pro cibo utantur ; vel dicendum eſt, plantas tales gradatim in*

parte

partes noſtras iter ſuum promoviſſe cùm primò haud ita longè a natali ſolo advectæ, ibidemque cultæ, Papilionem *etiam, cibo quærendo errantem, ſibi pellexerint, atque ita progreſsim : aut* (*quod magis probabile*) Erucam *hanc alias etiam plantas in eſcam ſumerè, æquè ac* Hyſſopum, *adeóque non eſſe ſolo noſtro extraneam Hoſpitem, tametſi Planta illa ſit peregrina. Hoc, inquam, longè probabilius eſt, quàm quòd tam Animalculum quàm Planta ſint ambo exotica; non enim inducor ut credam, hoc, vel aliud quidvis Animal, modo quodam ſpontaneò e Plantâ produci, nec alii cauſæ cuicunque Originem ſuam debere, quàm Parenti Animali.*

NUM. XVII.

ERucæ, ex quarum genere unam Num. 17. ad vivum exſculpſimus, colore virent, non ſecùs, atquè ipſarum eſca, quæ nihil eſt aliud, quantùm quidem experiri mihi licuit, ac ribeſiorum folia, etiamnùm tenera admodùm & mollia: hæc autem media, uti populares

pulares noſtri pernas ſuillas comeſturi, dividunt & diſcerpunt.

Extremas foliorum oras ne guſtant quidem, iſtæ enim ipſis duriuſculæ videntur, ſed partes medias avidè exedunt. Jam ſaturæ primùm ſeſe erigunt, & extemplò ſe rectà extenſas deponunt quieturæ, atquè in hoc ſitu tres horas permanent continuas, uſquèdum digeſtus cibus eſt; tunc etenim alvum exoneratum eunt, & ſe denuò paſtum; nunquàm autem bibunt, quantùm obſervare potui, ut aliæ multæ: Hiſce idcircò, ſi ſuſtineas, experiundi ergò, quid iis, ac ex iis fiat, oportet frequentèr recentia folia porrigas.

Ut plæriſque Erucis in more poſitum eſt, antequàm ad tranſmutationem ſe accingunt, ſuis ſe purgare excrementis; ità & hæc jam tranſmutanda mundare ſe; folia quædam,

quædam, de quibus ipſi in eſcam proſpexeram, colligere; eaque contexta beneficio humoris limoſi corpori ſuo circumtexere, uti, meâ quidem ſententiâ, eò firmius fruticum foliis adhæreſceret. & ne ex fruticibus, quæ pluviâ & vento validè quandoque ſolent agitari, deturbaretur.

Hæc autem Prid. Non. Jun. eâ poſiturâ, quâ in Tabula expictam conſpicis, ſe tranſmutandam deponere, & in eâ permanere, jejuna, immota, ac veluti inanimis per menſes undecim, unumque diem, uſquè ad iii. Non. Maias anni poſteri: quò temporis in lucem edidit muſcam anteriori corpore nigram, tergore flavam, & poſteriori nigram. Hæc ubi lucem primùm viderat, aliquantiſpèr quieſcere, donec ab aëre facta ſiccior majorem conſecuta erat duritiem, uti quo-

que molles herbæ decerptæ aprico aëre ficceſcere, & dureſcere ſolent. Poſtmodùm hæc ſe volatui accingere, poſterioribus pedibus alas, anterioribus caput, atque omnes corporis partes extringere, ut planæ & glabræ forent omnes; non ſecùs ac ancillæ nobis domeſticæ lota, & amylo oblita ſeu roborata linteamina & plicis involuta laminâ ferreâ in planitiem extendunt.

Rore hæc ſolo victitat, nec ſe paſcit, niſi ante Solem ortum: ſitis etiam valdè patiens: x. enim dies, noctesque continuos alimento ſuo, rore ſc. orbata, ſupervixit. Hanc, juxta cum ruſticis noſtratibus *viridem geometram* nuncupare ſoleo, eò quòd quoties prorepit, ſe attollit & demittit, adinſtar Geometræ agrum virgâ metientis; quòdque colore viret.

Muſca

Muſca hæc eſt ſingularis unus, iſque ſub-largus Ichneumon, *ſive Tenuis veſpa, adeóque Hiſtoria hæc, æquè ac præcedens, mutilæ ſunt atque imperfectæ; quoniam hic ſunt tantùm partus nothi, & non Papiliones, qui expectari debuiſſent, quorumque, Erucæ hæ, & earum* Chryſalides *ſunt tantùm Larvæ.*

SECT. II.

De Papilionibus *alis pendulis ſedentibus, iiſque corporibus ſuis propiùs admotis, inſtar* volucrum *alarum.*

TErtia hæc Sectio, *de* Papilionibus *tractans, admodùm prolixa eſt, & numeroſæ eorum* Claſſis Hiſtoriam *continet. Amplè mihi ſatisfactum eſſet, ſi* genera ſubordinata, *e differentiis quibuſcunque, in* Papilionibus *ipſis conſpicuis, deſumpſiſſe potuiſſem; abſque quòd illos, notis quibuſdam vulgaribus, in* Papilionum *Larvis advertibilibus, diſponere coactus eſſem. Sed deſciptionum particularium, quas* Author *noſter prorſus omiſit, deficientia in hanc methodum neceſſariò me compulit; quippe ex meris figuris parùm certitudinis colligi poteſt. Obſervamus quidem* Papilionum *quorundam* antennas *nudas exileſq; eſſe inſtar* filulorum ferreorum, *alias verò* plumoſas; *porrò quoſdam* humeros *ſuos habere* plumarum *valdè plenos, alios*




18.
20.a
20. b
20. c.
21.
22.
23.

os autem Capita, *&c. Veruntamen discrimina hæc nec certa sunt, nec satis vulgaria; Cùm e contrà* Erucarum *discrimina sint multò* insigniora, *veluti* Cornutam *esse*, Pilosam, Nudam, Grandem, Parvam, *&c. In præsens, oportet nos hisce contentos esse, quod condonabilius est, quàm* Erucam *in uno* Capite *disponere*, (*quod fecit* Moufetus) *&* Papiliones *in altero, quasi minimam ad invicèm relationem habeant.*

NUM. XVIII.

HOc erucarum genus in sylvis alneis moratur, quamdiu folia tenera sunt & succi plena; sed ubi obdurescunt ac ardore solis arescere incipiunt, ex iis migrare solet aliáque loca frequentare. Pacificum videtur ac mansuetum, nam ab aliis injuriam si patitur, non resistit, sed fugit. Tranformationem inchoavit sexto Octobris, & vigesimo quinto Aprilis sequentis Anni 1664. figuram assumpsit

papilionis cerulei, ſed rubore quodam, ac ſubfuſco ſeu ſpadiceo quodam colore, in membris poſterioribus commixti. Immotus planè permanſit in vitâ, à vigeſimo quinto Aprilis uſque ad ſecundum Maii, quo die ſine ullâ loci mutatione aut corporis manifeſto motu præcedente, extinctus eſt. Sed antequàm exſpiraret, ova aliqua excluſit, viriditate inſigni, quam noſtrates *Hiſpanicam* ſolent appellare, tincta.

Papilionum *ova, in corporibus ſuis, dum adhuc ſub* Chryſalidis fuco *perſiſtunt, deprehendenda ſunt; ideóque ſine dubio eſſentiales ſunt Fœmellæ partes, æque ac Crura alæque, & nullo modo a Mari generatæ. Quamprimùm* Larvam *ſuam qualemcunque plenè depoſuerint, paratæ ſunt ad* Copulandum *cum maribus; verùm ſi contigerit, ut* denudarentur *quando ſolæ, abſque maris ſodalitio, illicò ova citra* copulationem *ullam deponunt; tametſi veriſimilitèr* ova *talia Infœcunda ſint, nec prolem paritura.*

NUM.

NUM. XIX.

ERuca hæc veſcitur ſalicum herbâ ſeu foliis albis & oblongis, ſed non niſi recentibus ac ſucculentis; tardo incedit motu. Metamorphôſi ſe dedit decimo die Octobris 1663. primóque Maii ſuccedentis anni 1664. papilio inde exortus eſt tranquillus admodùm ac modeſtus. Acu aut aciculâ contacta ſubitò ſe præcipitem ac deorsùm dejecit, inſtarque mortuæ, ſine motu ſe continuit, adeò ut eum jam extinctum exiſtimarem, de quo ut certiorem me redderem, acu eum transfixi, ſed nihilominùs nullum dedit motus aut vitæ indicium; ſed paulò poſt alas ſuas expandit, volatuque ſe aliò transferre conabatur, ſed virium defectu, fugâ ſibi conſulere non potuit, vi-

tamque protraxit uſque ad undecimum Maii 1664.

NUM. XX. *a.*

VEſcitur hæc eruca ſalicum foliis, ſed tardè admodùm; quemadmodùm etiam in rependo & corporis motu ignavus deprehenditur ac piger. Ab alimento abſtinuit vigeſimo quarto Auguſti, ac filamenta quædam nere incœpit, ſed opus imperfectum reliquit, locumque ſæpè permutavit uſque ad decimum-quartum Octobris: eo tempore viridem colorem ſuum depoſuit & rubrum aſſumpſit, poſtque dies duos nullâ factâ transformatione, mortua eſt. Exiſtimo erucam hanc totam hyemem commorari in ſalicum cavitatibus, & primo vere in papilionem converti; ſed conjectura eſt incerta, experiri hactenùs non potui.

NUM.

NUM. XX. *b.*

VErmis hic Num. 20. *b.* delineatus, noctes atque dies, devorandis albis ſalicum foliis occupatur. Cœnâ abſolutâ caput (teſtudinis inſtar) intra corpus retrahit & abſcondit, ne frigore nocturni aëris aut pluviâ lædatur.

Poſt quàm abſtinere ab ordinariis alimentis obſervâſſem, eum vitro ad medium uſque terrâ repleto impoſui, adjectis aliquot ſalicum fragmentis: hæc ſtatim pulveris aut arenæ inſtar comminuit, ac pituitoſo quodam corporis ſui ſucco ita maceravit, ut inde accommodatum ſubeundæ mutationi inſtanti locum ſibi exſtruxerit. Domuncula hæc quoad externam ſpeciem, à communi ſalicum ligno nihil differre videbatur, niſi quòd longè eſſet

eſſet durior, adeò ut cultro vix diſrumpi poſſet, atque intra eam erucam aut vermem latere, conjecturâ aſſequi perdifficile fuerit.

Priuſquàm ad novum vitæ genus ſe accingeret, ſpatio duarum horarum omnem colorum elegantiam amiſit, coloremque recepit lividum rubore quodam triſti ac obſcuro imbutum, tanquàm ſi jam morte fuiſſet annihilandus.

In hâc alterâ quaſi nativitate ſive originis ſuæ mutatione hæſit à trigeſimo Auguſti 1663. uſque ad undecimum Aprilis anni 1664. ſive ſequentis: atque ex duriſſimo cortice antè deſcripto, erupit atque in lucem prodiit papilio ſubcineritii coloris, aquoſitate quâdam minimè ingrata dilutus, hâc appoſitâ tabulâ delineatus. Dùm vixit continuâ quaſi quiete delectabatur, adeò ut vix ſe moviſſe, aut locum

mutaſſe

mutaſſe obſervari potuerit. Aciculâ tandèm à me transfoſſus vixit uſque ad xxiv. diem Maii.

NUM. XX. c.

RArum hoc & inſolitum Erucarum genus antè deſcriptas omnes ſuperat. Verſatur plerunque in ſabuletis, ſeu cumulis, & collibus illis arenarum, qui Hollandiæ, & Zelandiæ littora circumcingunt, ubi aëre clementiore fruitur, atque pro alimento utitur frondibus palmæ illius, quæ noſtratibus *Duin-palme*, & quibuſdam *Duin-zouwtenelle* dicitur, quòd ea herba Soldanellæ marinæ, quæ & κράμβη θαλάσσια nuncupatur, & in ripis marinis abundè provenit, concolor eſt. Hæc herba (*fortaſſis Myrtus Brabantica*) erat ipſi cibus gratiſſimus, qui ipſius palato allubeſcebat

bat magnoperè ; ſed mihi acquiſitu difficilis, ut qui procùl a ſabuletis habito ; quocircà eam, præ defectu hujus herbæ, docebam veſci frondibus quarumdam ſalicum, quæ Soldonellæ marinæ ſiccitate non erant nec colore abſimiles.

Duas hæc eruca caudas habebat ; & ubi vexabatur, ex utrâque caudâ rubrum emittebat radium ſive aculeum, quem inflectebat, & veluti irata vibrabat trementem, atque intrò trahebat denuò : aſtutè etiam nôrat caput, utì ſolent teſtudines, retrò adducere & occulere ; forteàn ut id illæſum conſervaret.

Tranſmutandam ſe deponebat pridiè Non. Septemb. ſub foliis ſalignis nonnullis, quæ filorum à ſe netorum beneficio arctè colligârat, in formam quinque peculiarium domuncularum, ſic uti eam in

ſtatu

ſtatu tranſmutationis exculptam vides: ubi eam hoc in ſitu, & poſiturâ cultellô attingebam, dura videbatur, ut lapis.

Hoc in ſtatu permanebat, immota, nullo omninò vitæ ſigno edito ix. menſes & xxv. dies continuos: namque iii. Cal. Quint. anni ſequentis ex v. domunculis v. prodibant in lucem muſcæ: quas ubi domunculas ſive cellulas omnes ubi aperueram, nihil prorſùs inveniebam in iis reliqui neque cutem, neque caudas, neque pedes; at conſumpta deprehendebam, quod mirandum, omnia. Haſce Muſcas aliquantiſpèr vivas aſſervavi; & ubi unicam ad vivum expinxeram, quam tibi exculptam exhibeo, omnes lucis uſurâ, & liberioris aëris donabam, cæteras penicillo exprimere, non neceſſum ratus; ſiquidem omnes ejuſdem erant formæ.

Si

Si hanc ſit animus erucam ab aliis diſtinguere, nuncupa τὴν δίουρον q. d. *caudâ duplicem.*

1. *Tres hoſce præcedaneos Authoris noſtri* Numeros *in unum compegi, conjunctis etiam Ipſorum* Hiſtoriis; *quoniam, meâ ſententià, circa unam* Papilionum ſpeciem *verſantur.*

2. *Laudanda eſt hoc in loco* Authoris *noſtri induſtria, quoniam, eluſâ ejus operâ quando primùm* Erucam *hanc nactus eſſet, ſecundâ vice, cùm denuò in illam incidens, Terram ipſi & Foliorum Fragmina ſuppeditavit, in commodiorem Transformationem: Obſervandum etiam* Erucas plurimas *materiam* Peregrinam, *quâ* Folliculos *ſuos contexant, in* Chryſalidum *ſuarum tutamen, putà Folia, Terram, &c. requirere. Tametſi fatendum eſt, earum Alias Folliculum e propriis viſceribus nere; aut pilos ſuos in illum uſum adhibere.*

3. Hiſtoria *in ſecundâ* Tabulâ *eſt perfecta, ubi duæ Ipſius* Papilionis *Larvæ reperiuntur.*

Tertia Hiſtoria Partum nothum, *ſed perrarum quidem eum & Curioſum propinat; Advertimus hìc, quinque has Cellulas quinque vermium* Ichneumonum *opificia fuiſſe,*

&

& probabile eſt, eos Erucam *pro materiâ ad* Folliculos *conficiendas in uſum adhibuiſſe: Pari pacto in ſecundâ* Hiſtoriâ *affirmat,* Erucam *Foliorum Terræque fragmentula comminuiſſe, eaque in Folliculum miræ duritiei, quaſi depſaſſe. Non appoſuit* Folliculi *iſtius Figuram, in ſecundâ* Tabulâ, *ſed exemptam inde* Chryſalidem *tantùm depinxit.*

Accedimus jam ad tractandum atque diſponendum omnes *Authoris* noſtri *Erucas* quæ non ſunt piloſæ & tuberoſæ; unà cum iis qui hamulos, cornua, & gibbulos ullibi circa ſe habeant.

NUM. XXI.

QUam hâc tabulâ Num. 21. depictam vides eruca foliis Alneis veſcitur. In dorſo duo eminent hami flavi, corpus quoque reliquum flavedine quadam candenti tinctum eſt: ſed priuſquàm in aureliam mutaretur, viriditatem quandam ſubobſcuram aſſumpſit, ac bini antè indicati unci

ſive

ſive hami intra corpus ſubſiderunt, adeò ut jam totum glabrum eſſet atque æquale.

Metamorphôſin ſuam inchoavit ſexto Octobris 1663. vigeſimoque ſeptimo Aprilis ſequentis anni, ſub formâ Papilionis comparuit, quem ob colorum maximam diverſitatem, vix potui deſcribere. Vivaciſſimus fuit, integraſque noctes abſque ullo propè interſtitio, volitare ſolebat. Uſque ad quintum Maii vixit, eoque die arrectis ad cœlum alis, ac volaturi inſtar, extinctus eſt.

Hoc Erucarum *genus, cum hamis in medio corpore eminentibus, nunquàm mihi adhuc videre licuit, ideóque nec uſum eorum vel conjecturâ aſſequor, niſi facti ſint in defenſionem ſolam, ut* Author *proximâ Hiſtoriâ perhibet.*

NUM.

NUM. XXII.

INventa eſt hæcce Eruca in Flandriâ non procul à pago quodam, cui *de Groede* nomen eſt, è regione Fliſſingæ, ſalicis ramo inſidens, eâ formâ, quâ expictam conſpicis in Num. 22. Salicum etiam frondibus victitat, ſed in edendo tarda eſt admodùm, & ad ſatietatem paſta in eam ſe formam componit, quâ illam figura exhibet: corpus poſtremum caprini capitis faciem, & barbam repræſentat, anterius plerunque corpus ad poſtremum adducit, ubi eam attingis, poſteriori corpore, tanquàm irata te repercutit, uti & capite; in tergo duos geſtat uncinos, quibus ſe tuetur ſtrenuè; adeò ut animalculis omnibus, quæ ipſam vident, terrorem incutiat; propterea licebit tibi

eam diſcriminis ergô ἡ φοβερὰν, ſeu terribilem appellare. Ubi comedit, caput tenui filo ligatum corpori diceres, nec corpori araneæ eam abſimilem.

Ipſis Calend. Septembr. ſe dabat quieti, & tranſmutationi, eâ poſiturâ, quâ in tabulâ ob oculos habes poſitam: & poſt xxii. dies enitebatur papilionem ſeu aureliam, variis coloribus diſtinctam, & variegatam egregiè, quæque ante obitum excretum deponebat ſemen, figuris variatum diverſis & colore viride, alio prorſus modo, quo ſolent aliæ; vixit hæc apud me à ix. Cal. Octobr. uſque ad v. Non. ejuſdem menſis.

Papilio *hic ova ſua in fractis quibuſdam* Catenulis *deponit, ſicut in* Iconiſmo *exprimitur: Ego tamen in hâc conjecturâ ſum, alio modo depoſiturum fuiſſe, ſi mas primò* Prolifica *illa reddidiſſet, utcunque nil præcisè*

præcisè affirmo, cùm Papiliones *quosdam observaverim ova sua* Lineis *spiralibus, circa vimen contorta & convoluta deponere; accedente etiam, quòd* ranarum, *necnon & quorundam piscium ova, modo spirali excernantur.*

NUM. XXIII.

ERuca hujus Num. 33. rara est, hanc unicam invenire potui, quotidiè recens alimentum desiderabat. Postquàm mensem integrum eam aluissem, folia quædam filamentis, tanquàm reticulo aliquo contraxit, quibus tanquàm involucro aut sepulcro quodam se occuluit. Posteà transformationis modum observavi, quem in Tabula expressi. Postquam ad saturitatem salicum edisset folia, mutari cœpit xix. Julii, & iii. Augusti exortus est papilio in eâdem tabulâ depictus, qui sine nutrimento vixit dies sex.

NUM. XXIV.

VIridis hæc eruca ſalicum foliis nutritur uſque ad finem æſtatis: edere plerumque incipit primâ apparente aurorâ, magnâque aviditate, quinque aut ſex horas continuas abſque ullo intervallo, hoc ſolo occupata negotio. Excrementa nunquam poteſt excernere, niſi copiâ novi alimenti aſſumpti expellantur; tenaciter adeò ſe ſalicum foliis affigit, ut vix unquàm ab iis avelli poſſit, ſed potiùs in partes ſe dilacerari permittat.

In corpuſculi ſui parte poſteriore pinnulam gerit acutam ac venenatam, quâ, ſimul ac attingi ſe ſentit, ad defenſionem utitur, agitatione quâdam celerrimâ, atque in orbem, quaquaverſum, ad omne latus inſtitutâ, ut lædentem pinnulæ

24.



25.



26.



27.

28.



læ motu compungere poſſit. Qui hâc tabulâ expreſſus eſt, maſculus eſt, fœmellæ non ſunt tam formoſæ, ſed coloris magis cinerei, iiſque carent rotundis maculis, quæ oculorum quendam ſpeciem habere videntur.

Priuſquàm hujus generis erucæ ſe dedant transformationi, diu multúmque moventur, donec ab omni immunditie planè ſint expurgatæ. Nullum ſibi reticulum, aut tegumentum parat, in quo ſe abſcondat aut ab externis injuriis tueatur, (quod reliquæ erucæ ferè omnes ſolent diligenter obſervare) ſed ſolâ cutis excuſſione in aurelias convertuntur, ſicuti in appoſitâ tabulâ videre eſt. Contigit hæc mutatio decimo-nono Septembris 1663. & quinto die menſis Maii ſequentis anni 1664. comparuit papilio validus, qui jejunus vixit uſque ad

decimum-quartum ejuſdem menſis.

Nunquam ex hoc erucarum genere obſervare potui papilionem perfectum ſuiſque omnibus partibus abſolutum proveniſſe, ſed alis ſemper contractis, & quaſi ignis ardore corrugatis, adeò ut expandi rectè non poſſent, aut ad volatum idoneæ eſſent; unde papiliones ad quærendum ſibi victum invalidi ſunt, atque inediâ conficiuntur; ſolent tamen ante vitæ ſuæ exitum, ova deponere.

1. *Animadverto hic particulatim* Authoris *noſtri Obſervationem de* novo Cibamento vetus expellente; *quòd indè provenire poſſit, quoniam Inteſtina eorum non ita longa ſunt nec tam multa in* ſanguineis Animalibus; *aut ſaltem hoc fit ratione* novæ Fermentationis.

2. *Curioſa eſt obſervatio de* Erucarum, *maris & fœminæ, diſtinctione; quæ certè ulteriùs veſtigari debet, ut abſoluta earum concinnetur*

cinnetur Hiſtoria; *nam, obſervante* Malpigio, *ova ſunt unius coloris poſt* copulationem *depoſita, alterius verò cùm citra eam excernantur.*

3. *Ratio forſan probabilis, quòd* Author *noſter non potuit* Papilionem *hujus generis, omnibus partibus perfectum adipiſci, inde peti poteſt, quòd* Erucæ *materiam,* Folliculo *faciendo commodum, non ſuppeditaverit, adeóque ex parte Fame perire coegerit.*

NUM. XXV.

ERuca hæc quam in Num. 25. depictam cernis, anteriori ac poſteriori coporis ſui parte armata incedit: in fronte ſcuti duriuſculi imaginem gerit cervo quodammodò ſimilem; at in capite nullos oculos obſervare potui. In parte poſteriori pinnam habet rigidam ac duram, color ejus viridis eſt, cœruleo mixtus, hanc virulentam admodùm eſſe arbitror. Siquando ſtramine ut aliâ quâpiam re

tangitur, utique corporis partem posteriorem sursum movet, seque pinnâ prædictâ tanquàm aculeo quodam defendit. Vescitur foliis salicis; expurgavit se, ac mutari cœpit primo Aprilis, eum in modum, quem in Num. 25. exhibui. Hanc formam retinuit dies quinquaginta-quinque, non obscurè faciem viri cum barbâ, & (quoàd reliqua,) infantis fasciis involuti repræsentantem. Sed vigesimo quinto Maii erupit papilio, infra transmutationis formam expressus.

Eruca hæc etiam Liguſtri *foliis pascitur, & apud* Angliam *nostram circa* sepes Liguſtrales *deprehenditur : Animalculum est summè formosum.*

NUM.

NUM. XXVI.

ERucam hanc Elephantem appellare conſuevi, quia ſimilitudinem habet in capite proboſcidis Elephantinæ. Nutritur vinearum foliis: ſumpto cibo, caput intra corpus trahit atque occultat, eo ferè modo quo teſtudines; maximè meticuloſa eſt, nam vel leviſſimè contacta, uſquè adeò horret tremitque attonita, ut ſimilem quendam affectum in adſtantibus facilè poſſit excitare. Proboſcidem celerrimè magnâque agilitate in omnem partem verſare novit; necnon eandem contrahere, atque extendere: demittere & attollere; quæque eâ apprehenſa tenet, non niſi difficultèr ei eripiuntur, magnâ enim pollet vi tum in attrahendo, tum alio quovis motu. Acutiſſimi auditus

auditus eſt, nam ad minimum ſtrepitum expaveſcit, corpuſque contrahit, ut ſæpè expertus ſum.

Appropinquante transformationis tempore, à cibo abſtinet, quæritque quieti idoneum atque accommodatum locum. Eumque in finem ipſi ligni quædam fruſtula appoſui, ex quibus, adjectis foliis vinearum, & limo quodam ex ſuo corpore protracto ſimul mixtis, domicilium ſibi extruxit, inque eo ad Metamorphôſin Naturalem ſubeundam ſe compoſuit quarto Septembris anni 1665. atque in eâ viva permanſit uſque ad decimum ſextum Aprilis, & ultrà, quod ipſe viſu & tactu meo obſervavi, eo ipſo tempore incertus quid tandem inde futurum ſit, aut novi natura moliatur. Cùm eam attingerem volæque manus imponerem, inſtar glaciei frigidiſſimam eſſe obſervavi,

vi, non obſtante motu corporis totius ſatis valido. Id porrò conſtat & obſervatu dignum judico, animalculum hoc a quarto Septembris anni 1665. uſque ad decimum ſextum Aprilis anni 1668. ſine ullo planè alimento vixiſſe. Cui inediæ ſuſtinendæ multùm conducere videtur quies continua, & temperies admodùm corporis frigida; quibus fit ut accedente ſucci vitalis pinguedine ac tenacitate, neceſſe ſit ejus conſumptionem non dari niſi admodùm tardam & diuturnam; quod experientia in aliis quoque animalibus paſsim comprobat, quæ hyeme quieſcunt, nulloque alimento utuntur niſi tempore verno aut initio ſubſequentis æſtatis.

Imperfecta eſt Hiſtoria *hæc*; *apponitur enim ſolummodò* Larva *ſive Folliculus, non ipſe* Papilio; *proclivis ſum ad credendum,* Chryſalidem;

Chryſalidem, *quoniam e* Folliculo *ſuo extractam, periiſſe, ideóque partum aliquem aut* Papilionem *erumpere, temerè ab* Authore *noſtro expectatum eſſe.*

Quoad frigiditatem ejus; Ipſe atteſtari poſſum, me, mediâ hyeme, nive etiam profundiore, tam Erucas *quàm vermes* Hexapodas, *ſuperficie nivis jacentes, ideóque ex eâ prorumpentes, comperiſſe. Hæ, inquam,* Erucæ *ita gelu* obriguerunt, *ut in vas hyalinum projectæ, ſonum ederent tanquam lapilli; verùm ſub vitro poſitæ, ignique admotæ, citò circumrepentes, agili motu fugam quærere ſatagerent.*

NUM. XXVII.

HÆc erucæ ſpecies inter ſegetes commoratur, ibique nutritur Hederâ quâdam minori, quam Belgæ *Wee-winde* nominant, & quidem ad minimum duas ſolet horas continuas uno prandio occupari. Excrementa ejus inſolitam habent figuram, determinatâ quaſi formâ delineatam, quam in appoſitâ tabulâ expreſſimus. Variis

Variis insignita est coloribus, lineæ binæ nigræ dorsum tingunt, inter quas alia viridis intercedit. Reliqua corporis superficies subviridis, in parte ejus posteriore pinnam habet rubram incurvatam; nonnullis quoque in locis albedo cœruleo colore temperata ac commixta cernitur: acutissimi est auditus ac tactus. Vel minimo audito strepitu, statim ad tempus satis longum, sine ullo motu se continebat. Plura Author morte præpeditus non reliquit.

1. Historia *hæc ex confesso imperfecta est, cùm* Papilionis *Larvæ solummodò exprimantur. Optandum esset,* Authorem *per totum operis sui decursum eâdem industriâ usum fuisse, quam, in verbali* Erucalis picturationis *descriptione hìc exhibuit; sed penecillo suo, plùs satis excellenti, nimiùm fisus est, aliter sat otii temporisque suppetiit illud effectum dedisse.* Eruca *hæc* cornigera *est, ideóque inter congeneres ejus illam pono.*

2. *Quoad*

2. *Quoad determinatam* Erucalis *excrementi figuram, ſi* Author *attentiùs obſervaſſet, eſt commune quid cum multis* Erucarum ſpeciebus. *Exiſtimo Cauſam ejus ex Figurâ* Coli *aut quarundam ejus partium, ubi excrementa hæc coquuntur effigiantúrque, pendere.*

NUM. XXVIII.

PApilio in appoſitâ tabulâ depictus, Pariſiis miſſus fuit ad Authorem, ob excellentem pulchritudinem, ac ingentem magnitudinem, quâ longè omnes alios antè commemoratos excedit; eum in finem, ut originem ejus, datâ occaſione, indagaret. Deprehenſus fuit in horto Regio, traditúſque Nobiliſſimo D. Borelio, apud Galliæ Regem, Illuſtriſſ. Ord. Fœderati Belgii legato, qui eum huc tranſportari curavit.

Papilio *hic, me Judice, Folliculum ſeu* Larvam *habere, inſtar quorundam ex immediatè*


29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.

diatè præcedentibus, deprehendetur : necnon & ab Erucarum cornigerarum *quàpiam tranſmutatum fuiſſe ; quanquàm incongruum eſt hic de* Origine *ejus loqui, quia ex ſe perfectus eſt, &* Erucæ, *a quâ transformatur, mater.*

Progredimur in *Hiſtoriis* de *Erucis* Glabris, & minimè Piloſis.

NUM. XXIX.

HUjus ſpeciei erucæ præſertim braſſicas caulifloras ſolent abſumere atque infeſtare. Una in angulo quodam, ſub papyro occultata, mortua reperta eſt, ex cujus cadavere decimo Septembris 1663. duodecim vermes prodiêre, qui ſpatio quatuor circitèr horarum, in totidem ova converſi ſunt; at ſecundo Julii ſequentis anni 1664. ex iis ovis duodecim muſcæ coloris cinerei excluſæ ſunt.

Altera ejuſdem notæ ac ſpeciei eruca

eruca vitali ſpiritu privata fuit duodecimo Septembris 1663. ejuſque reliquiæ decimo ſeptimo ejuſdem menſis in vermem mutatæ, qui magnâ vi ex cute prænominatæ erucæ erupit.

Tertia ejuſdem figuræ ac ſpeciei eruca trasformationi ſe dedit vigeſimo quinto Septembris 1663. atque octavo Maii ſequentis anni, formam accepit papilionis, qui colore ingrato, motu tardo, ac facie ſubtriſti, melancholiam quandam adumbrare videbatur, jejunuſque vixit dies novem.

NB. Erucam *primam*, Authore *noſtro diſertim illud affirmante, periiſſe*; *& ſine dubio cadaver erat a muſcis carnariis afflatum corruptumque, ita ut decem vermes erant* Termites, *ex minutis quibuſdam* Muſcis Carnivoris, *excluſi, ſicut poſteà ſe oſtenderunt, eorum uno in hâc* Tabulâ *figurato.*

Idem etiam credimus de verme, e mortuo alterius corpore prorumpente: ſed cùm ſileat Author

Author *quid de eo factum ſit, noſtrâ nil refert Proſapiam ejus exquirere.*

NUM. XXX.

ERuca Num. 3. variis nutritur herbis, inter reliquas delectatur præcipuè hederâ terreſtri ſive coronâ terræ. Sed in ſeligendo cibo delicata eſt & accurata, nullas quippe herbas attingit niſi recentes. Aliquoties pellem mutavit, videtur enim adeò dura, ut corpore notabilitèr aucto, eam rumpi neceſſe ſit, aliamque novam cutem ſubcreſcere. Depoſitâ pelle, integro die quieſcit, neque poteſt alimento uti, ob novæ cutis teneritudinem ac mollitiem, quæ ab ambiente aëre paulatim indureſcit.

Ad transformationem ſe compoſuit quinto Auguſti, cujus mutationis modum in tabulâ appoſui,

& vigesimo sexto die ejusdem mensis prodiit ex eâ papilio, tabulâ descriptus. Hujus speciei papiliones nocte imprimis volare solent, sed prudenter sibi ab ignis aut candelæ flammâ cavere solent, quod aliis papilionibus secùs solet accidere. Vixit hic papilio absque ullo alimento dies sex.

Advertas velim, quòd Author *noster cum ratione summâ Philosophatur de* Erucis *pellem suam exuentibus, inquiens, eam indurescere, & ulterioris Extensionis incapacem reddi, adeò ut* animalculorum *corporibus notabiliter auctis, eam rumpi necesse est. Tale quid in* Araneis *etiam observavi; idem etiam obtinet in* Animalibus, *Cornua sua exuentibus, ut* Cervis; *quæ, cùm plenè maturuerint, ulteriori nutrimento privata, fiunt dura & ab aliis succrescentibus expelluntur. Idem etiam in* Pilis Animalium, & Plantarum Foliis, *in observationem venit.*

Nec minùs certum est, singulas pelliculas sibi mutuò successivè suppullulare, sicut in Plantarum Foliis.

NUM.

NUM. XXXI.

EXpertus ſum aliquotiès Heliotropii ſemen ſuper terram delapſum, totam hyemem quantumvis gelidam illæſum ſervari, & verno tempore germinare. Vermis trigeſimæ primæ tabulæ hâc herbâ pro alimento utitur, de die ſub terrâ latet, nequè ante veſperam prodire ſolet aut nutrimentum quærere. Sub vitro hunc vermem ſervavi, at nunquam niſi veſpertino tempore eum moveri aut edere quicquam expertus ſum; eamque ob cauſam ſomnolentum appellavi, quia toto die dormire videbatur. Poſtquàm ſe debitè mundaſſet, mutari cœpit decimo-ſeptimo Auguſti, inque eo ſtatu manſit uſque ad nonum diem Junii ſequentis anni, adeò ut mortui inſtar ſine

ullo alimento in mutatione moratus fuerit menſes propemodùm decem, poſteâque ex eâ prodiit Papilio, in prædictâ tabulâ depictus, in utrâque alâ figurâ literæ O inſignitus.

*Hic notandum, quàm neceſſarium ſit, Phy*ſiologum, *qui* Hiſtoriam Naturalem *omnibus numeris abſolutam elaborare velit, in re etiam Botanicâ,* viz. Inſectorum *pœnè omnium cibo, eſſe valde peritum.* Heliotropii *nomen multis plantis attribuitur, ſicut uni* Tithymalli *ſpeciei, nec non &* Calendulæ Indicæ majori; *item aliis plantis, in uſum* coloris cœruli tingendi *ſatis notis &c. Adeò ut in tenebris adhuc verſamur circa* Inſecti *hujus Cibum, quòd* Author *Hiſtoriam hujus Plantæ magis particulatim non additaverit.*

NUM. XXXII.

SImulac mororum folia ſe expandunt, bombyces qui iis aluntur, ex ovis ſuis erumpunt; quamquàm in primâ ætate ſuâ etiam

am cichoreo ſylveſtri & lactucâ veſcantur, ſerò enim mori germinare incipiunt. Priuſquàm bombyces ſericum conficiant, ab omni immunditie expurgantur; centum ſexaginta bombyces ſolent ſerici unciam unam & octaginta grana conficere. Bombyx in Num. 32. expreſſus ad transformationem ſe contulit decimo-quarto Septembr. ac vigeſimo-quarto die ejuſdem menſis, id eſt, ſpatio decem dierum, formam induit Papilionis albi. Antequàm coëunt Bombyces, tam mas quàm fœmella exactè purgantur, poſteà copulantur corporis utriuſque extremitate; deinde fœmella ova producit centum ſexaginta ſex, quæ niſi maſculo unita fuerit, ſterilia ſunt omnia, atque exareſcunt. Aliquando etiam ſecundâ vice coëunt, ſed ova non producunt; ſolent quippe Bombycum

Papiliones intra dies quatuordecim vitam finire.

Vide Malpighium de Bombyce.

NUM. XXXIII.

HOc genus Erucæ, de quo unicam Num. 33. delineavi, prunorum frondibus victitant, at parùm sunt edaces; quocircà eas ὀλιγοφάγους, sive, *parumedaces* nuncupare tibi per me licet, eò quòd pauco vivunt alimento: supra modum somno deditæ videntur; quiescentes enim plerumque, immotas, & binas, atque dormientes ferè semper invenire est, inflexo ad medium corpus capite.

Utraque harum sibi mutuò comites prunorum foliis affixæ vi. Calend. Jun. se transmutandas composuerunt, eo situ ac formâ, quibus

bus illas tabella delineatas exhibet: ex utrâque poſt xxxi. dies ad diem v. Calend. Quinctil. prodiit papilio, colore flavus, tardus atque piger, qui interdiu volitare detrectabat. Hujus generis papiliones etiam debilis admodùm videntur eſſe viſus atque cæcutire: currere malunt, quàm volare, curruntque quàm ocyſſimè: ſimulac curſum ſuum conſummârunt, in locum obſcuriorem fugiunt, tenebris enim magis, quàm luce, delectantur. Melle vivunt, & humore dulci, è floribus collecto: ideoque oblongo à Naturâ inſtructi videntur aculeo, cujus beneficio humorem è floribus exugunt: hunc induſtriè, ubi repunt, curruntve, nôrunt capiti circumvolvere, quò eum conſervent illæſum, uti pleraque alia animalcula, quæ aculeos gerunt.

Hyberno tempore in locis tene-

broſis latitant; ut diceres lucis non patientes, veluti noctuas, & ſtriges, aliaſque nocturnas aves.

NUM. XXXIV.

VIctitant hoc genus Erucæ, quarum Num. 34. ad vivum exſculptam, & expictam dedi unicam, foliis viridantis *abſynthii*, illiuſque præcipuè, quod in aggeribus marinis creſcit; cui hanc inſidentem offendi, in inſulâ quâdam *Flandriæ*, propè *Axellam*, atque *Neuzam*.

Ingenio hæ truculento, & iracundo ſunt: ſi enim eas manu, aut bacillo levitèr attingas, confeſtim poſteriori corpore manum, aut id, quo eas tangis, repercutiunt, & aſtutè eâdem operâ, punctim ferientes, totis illi viribus ictum inferunt; ſed non apprimè tenaces ſunt:

ſunt: velociſſimè repunt: toto corpore exactè ſunt abſynthio marino concolores: cujuſvis etiam tactus impatientes ſunt, minimum illicò perſentiſcunt, immò & horrent, uti & mortem proculdubio: ubi cibum capiunt, abſynthii multum in terram demittunt, atque ſemper etiam, lenitèr attactæ, & extemplò ſe delapſis foliis immergunt, ut vix ac ne vix videndo, aut inveniendo ſint, ſiquidem ejuſdem omninò, cujus herbæ, ſunt coloris, ac idcircò non niſi ægrè ab iis diſtinguendo: ovum enim ovo non tam ſimile eſt, atque hæ erucæ abſynthii caulibus, foliis, floribus & ſemini.

Ubi ſe in terram dant præcipites, cautè poſteriori corpore caput tegunt, probabiliter, me judice, ne, cùm cadunt, noxam capiat, ſiquidem tenellum ipſis caput eſt, ut &

Erucis

Erucis aliis quæ, ſupernè in terram labentes, hoc etiam modo capiti ſuo ſolent conſulere: non ſemel enim comperi haſce Erucas è leviſſimo capiti illato vulnere continuò exanimari. Hinc vero ſimile mihi videtur, eas ex ingenitâ ſibi hujus rei notitiâ quòd capite tenellæ ſint, & plagam leviſſimam in eo acceptam, ferre nequeant, & naturali inſtinctu, ac ſagacitate, tam ſollicitam capitis ſui curam gerere, ne deorſùm labentes noxam aliquam, aut ſaltem ne dolorem accipiant. Eſt & hoc obſervatione dignum & admirabile, quod de his expertus ſum, eas, quamvis tenerrimo ſint capite, & leve admodùm vulnus id ſauciet lethalitèr, frigoris tamen, & aquæ valdè patientes eſſe, adeò ut iis non facilè necentur, immò, ubi frigore & aquâ exanimatæ videntur, attamen reviviſcere. Harum enim

enim aliquot in frigidam conjeci, atque in eâ per duodecim horas continui continuas, deinde exemi, rectà extenſas & frigore rigidas, ut ne minimum vitæ in iis indicium animadvertere potuerim, imò putaverim eas emortuas, utpote omnis omninò motus expertes. Soli tamen expoſui, ut exiccarentur: cujus calore illæ, intra horæ dimidiatæ ſpatium adeò refocillabantur, & incaleſcebant, ut ſicuti cæteræ earum conſortes, omnia omninò vitæ indicia ederent, atque ab iis diſcerni non poſſent. Idem hiſce Erucis evênit, quod ſubmerſis Muſcis, quæ ubi eas in cereviſiâ aut aquâ per integram noctem jacére ſiveris, & exemptis paululum cretæ in pulverem redactæ ſuperinſperſeris, ut eâ tectæ ſint, ſtatim inde prorepunt, quùm anteà mortuæ videbantur.

Obſervatu

Obſervatu quoque dignum eſt, haſce Erucas, aquâ exemptas, atque Solis calore recreatas multò avidiùs vorare, quàm anteà, & ipſarum conſortes in frigidam non immerſas comedere deprehenduntur. Cauſam hujus rei aves cognoſcere? in promptu eſt, & quidem experientiâ nixa. Annon hæc, quæ inſciorum magiſtra eſt, nobis teſtis eſt, hominum atque animalium ventriculos in frigidioribus Septentrionalibus, noſtriſque Regionibus Hyberno tempore, ciborum plus digerere, quàm in calidioribus, æſtivo.

Inſuper & iſtud animadvertendum, hæc inſecta & intelligendi facultate deſtituta animalcula, ubi jam ex inſtinctu naturæ præſciunt, deſtinatum ſibi tranſmutandis tempus appetere propinquum, lectum præparare ac ſternere, in quo tutò

& commodè decumbant: aliquot enim ramuſculos, ex abſynthii frutice mordicùs ablatos in terram demittunt, iiſque ſe involuta componunt, novam indutura formam. Hæc autem Eruca ſe depoſuit tranſmutandam in ſtratum ſibi lectum, Prid. Non. Sept. atque in eo quieta decubuit, & tanquàm exanimis per menſes x. & dies duodeviginti continuos, eâ formâ, quâ illam in Num. 34. videre eſt: atque xii. Calend. Sextil. Papilionem enixa eſt, mirandum in modum comparatum, & inſtructum. Hic primùm editus, per biduum quievit fixus, & immotus, at x. Cal. dictas ſe movere cæpit, & manſit denuò quietus uſque ad viii. Cal. ejuſdem menſis; iſtoque die expiravit alimenti defectu; quodcunque enim ipſi comedendum præbebam, adſpernabatur, nec ſciebam, quid ipſi ſaperet,

ſaperet, quove veſceretur; aut fortaſſis etiam liberioris aëris; illius enim uſuram non dabam ei, ne avolaret, aut etiam utriuſque defectu.

Hanc Erucam, quæ Papilionem hunc partu ediderat, ſiquidem libens in fruticis faſtigio degebat; & in terram aut infimam, aut mediam fruticis partem depoſitus, confeſtim ſemper in ſummam adſcendebat, nominare mihi viſum eſt ὑλοβάτην.

NUM. XXXV.

VIvit hæc Eruca, quam depictam vides Num. 35. & ſe oblectat *rubi canini* odoribus, & *vite:* tarda valdè, & pigra eſt; ſe pedibus conteri mavult, quàm fugâ ſaluti conſulere, attacta tamen, & infeſtata iraſci videtur, ſeque adverſus

versus illatam vim tuetur; at non facilè in fugam se dat, ubi tamen fugit, lentè proserpit; celeritèr non videtur posse progredi; propterea τὴν ἀγανβραδὺν, discriminis ergô, eam licebit nuncupare. Postquàm hanc ceperam, alimento sibi debito, & grato per quadrimestre spatium sustentavi: hoc elapso, illa sibi construere sepulchrum, è chartâ purâ, minutatim affabrè demorsâ, & *Melissæ* foliis, ac stillatâ ex ore pituitâ: hinc sibi conficere domicilium, ut in eo tuta ac quieta decumberet: ad transformationem se accingere ipsis Id. Septemb. atque in eâ perdurare viii. menses, nec plùs, nec minùs eo situ atque habitu; quo eam cernere est delineatam in Num. 35. iii. enim Id. Maii subsequentis anni papilionem protulit, colore non inelegantem, sed inediæ impatientem; unicum enim

duntaxat

duntaxat diem vixit, at alimento ſibi debito deſtitutus interiit; neſciebam enim quo victitâret hoc genus papilionum.

NUM. XXXVI.

QUam in Num. 36. tabulæ hujus exaratam vides Erucam, ſi nomine ſuo diſcupis cognoſcere, jure merito τὴν πανεσθίοντα vocitabis: namque veſcitur omnibus, quæcumque objicis; veluti helluones, atque gurgites, qui cuncta devorant, ingurgitant, in ſtomachum condunt, & concoquunt, quæcunque os ipſi offert. Nulli peculiari alimento, uti pleræque aliæ Erucæ, addicta eſt: avidè deglutit, quodcunque ipſi præbeas guſtandum, Roſarum folia, Mentham, Atriplicem ſylveſtrem, aliaſq; herbas quamplurimas. Hoc ubi

eam

eam alebam comperi cum admiratione, totos etiàm dies illam dormire neque ſe movere loco, ſed quotieſcunque veſperi in cameram, in quâ eam continebam, aſcenderem, toties manducantem offendi, & manè reverſus deprehendi eam devoraſſe omnia, quæcunque ei objeceram, vixque aliquid feciſſe reliqui. Quotieſcunque ad ſatietatem paſta erat, ſicco ſubrepebat folio, ſeque ſubter id locabat; ſed ſub viridibus, & humidis deliteſcere renuebat uſque: illa enim arbitrabar ſibi nimiùm frigida, & corpuſculo gravi nimis onus.

Unicam præterea ex iſthôc genere, ſed minorem ceperam; illamque diu alui; at ſiquidèm vergebat annus, & herbarum folia jam duriora facta erant, non poterat ea mordicùs perfringere; attamen illa ſe ad tranſmutationem ac-

cinxerat; verùm ex eâ nihil prodiit; adeò ut nihil peculiare de eâ experiri mihi licuerit.

Sed adſtans pridèm præ ædium mearum, ulmis conſitarum, foribus, magnam hoc genus Erucarum catervam ulmi ramo videbam inſidentem, in quem eas procul dubiò matres excreverant. Hæ omnes animum appellebant ad demigrandum pariter, & de arbore deſcendendum; in eo videbam conſentire; ſimul enim omnes ſtillatæ ex ore pituitæ beneficio unicam nere telam, ſive filum, ipſis omnibus demittendis aptum, atque per illud ſenſim,& illæſæ de arbore labi; coloris erant viridis, ut nihil ſuprà, & inſuper pellucidæ, adinſtar gemmarum viridium, & tranſlucidarum.

Erucas has exiguas omnes cepi, & ſub ulmi frondibus vitro ſuppoſui,

posui, atque ibi factâ ipsis alimenti copiâ aliquod tempus eas nutrii. Deinde vidi singulas sibi singula contexere domicilia ex arenâ, & stillatâ ex ore pituitâ, ut in eâ adversus hyberni frigoris inclementiam tutæ forent; & sub anni initium ipsis liceret quæritare victum, quod ipsis eò temporis non gravabar permittere.

Antè dicta Eruca, exiguarum harum matrix, ubi jam diem integrum rependo consumpserat sub aliquot folia quieti se dabat transmutandam viii. Calend. Octob. atque in hoc situ permanebat, quo eam ad vivum expictam videre est in Num. 36. ix. menses quatuorque dies: namque Prid. Calend. Quintil. anni posteri in lucem protulit aureliam pulcherrimam, variis atque mixtis coloribus mirificè distinctam, eâdem tabellâ delinea-

tam. Obſervatione quoque dignum eſt, hujus etiam generis inveniri erucas, hiſce alterò tantò craſſiores, & longiores.

Non eſt plenè mihi ſatisfactum in hujus Hiſtoriæ traductione, *cùm ſit adeò mutila atque imperfecta: Indubiè* Traductor Latinus *non caret ſuâ Labe. Ego Textum ipſum correxi, ubi de* Erucis magnis, *ceu parvarum matribus, loquitur, quo nihil abſurdidius poteſt; rursùs,* Aurelia *hic pro* Papilione *ponitur, &c. ſi res eſſet explorata & ab* Authore *noſtro, tanquam* Obſervatio *ſua diſertim affirmata, nollem quippiam immutaſſe, verùm tanquam mera* imaginatio *ejus ſolùm exprimitur.*

NUM. XXXVII.

EJuſmodi Erucæ, cujuſmodi unicam ad vivum Num. 37. depinxi non ubivis ſunt obviæ, ſed raræ admodùm, & corpore grandiuſculæ; idcircò eas τὰς μανὰς, q. d. *raras* & *infrequentes* nuncupare licebit.

cebit. Hanc viii. Calend. Quintil. in ſabuleto ſeu colle arenario, creſcenti in eo gramini (noſtratibus *Duin-gras* dicto) inſidentem offendi, atque mecum ſumpſi domum, quid ex eâ naſceretur, experturus. Poſtridiè è poſteriori ejus corpore quoddam prorepſit animalculum, formâ exiguo *Molitori* non abſimile, ejuſque magnitudinis, quâ id in tabulâ exſculptum videre eſt. Enixa hæc Eruca id animalculi, omne faſtidiebat alimentum, & contracto ac contorto corpuſculo tandem periit: ſed animalculum, illius ſoboles, vivum perdurabat; ferè ſemper autem quieſcebat, velut exanime, præterquàm quòd aliquandò ſe concutiebat. iv. Calend. dicti menſis liberidem mutabat, uti ſolent angues; jam pellem exuta anteriori corporis parte aurei coloris erat inſtar Canthari, ſeu

Scarabæi, & posteriori coloris rubicundi, instar *Molitoris*: sex erat instructum pedibus, & in fronte duo gerebat exigua cornua; vescebatur autem floribus Sambuci, Rosarumque foliis.

Major autem Eruca, animalculi hujus matrix, ad transmutationem se deposuit ipsis Cal. Quintil. & in statu metamorphoseôs permansit quieta, & immota usque ad x. Calend. Sextil. quo die edidit in lucem papilionem pulchrum, qui per dies novem, alimento destitutus ubi vixerat, peribat, citrà dubium inediâ, me inscio, quo alimenti genere sustentari poterat.

Scarabæi *hujus ortus inusitatum est* Phænomenon: *Ego in hâc sum opinione, ingentem hic subesse errorem, quippe idem semèl mihi accidit. Autumavi me observasse* Scarabæum *ab* Erucâ *natum, veruntamèn in dubium voco propriam meam observationem. Maturuit* Eruca, *atque hic perfectus est* Papilio.

pilio. *Exiſtimo* Scarabæum *hunc caſu forſan delatum & abſque cujuſpiam obſervatione eodem loco poſitum, ubi* Eruca *ſervabatur: Idem etiam cenſeo de propriâ meâ obſervatione olim factâ; ſed nihil dogmaticè affirmo.*

NUM. XXXVIII.

NUm. 38. ecce tibi delineatam erucarum unam, quæ foliis Calthæ, ſeu Calendulæ floribus paſci ſolent, quaterque pellem exuere, & alimenti inopes ſe mutuò exedere. Alias quandóque ſe invicem Erucas depaſcere animadverti quidem; ſed has quàm avidè & atrocitèr; propterea iis τῶν ἀνημέρων, *immitium* nomen feci. Ubi hanc per quatuordecem dies alueram, ſimulatque ſeſe, rependo, & ſe commovendo, ab immunditie, quæ corpori adhærebat, mundârat, tranſmutationi ſe accinxit iv. Id. Sextil. eâ formâ quâ expictam in Num. 38.

conſpicis, & poſt dies duodevigenti, v. Cal. Sept. papilionem, ſeu Aureliam protulit, quatuor habentem alas, ſed aurei coloris maculis diſtinctas, quarum quatuor minores alas ſingulas, & duæ majores alas anteriores ſolas, exornabant: jejuna hæc vixit aurelia uſque ad viii. Id. Sep. & fame ſitive interiit dicto die; ſiquidem non erat mihi quod ei edendum ſugendumve porrigerem.

In hâc Hiſtoriâ *obſervamus* Papiliones, *cùm* Erucæ *ſint, ſibi diſſimiles eſſe, non folliculis modò ſed & moribus. Tum enim ſe mutuò edunt, agunt autem admodùm pacificè inter ſe, cùm in ſtatu perfecto & larvis ſuis exutæ, ita etiam* araneæ araneas *devorabunt, &c.*

Idem etiam repeto, optandum eſſet, Authorem *noſtrum in* variegatis Inſectorum coloribus *deſcribendis accuratiùs invigilâſſe, quos* Penicillo *ſuo delineavit.*

NUM.

NUM. XXXIX.

ORtum ducit Eruca, Num. 39. repræſentata ex putrefacto, ſeu mucido, & cano Saligno ligno: in eo etiàm deſidet. In hâc arbore pinguis quidam creſcit humor, Terebinthinæ non abſimilis, namque ex ſalicis ſerragine humidâ coquinariæ artis beneficio vernix ſolet confici: pingui hoc humore victitat hic vermis: dictæ arboris medullæ hyberno & æſtivo tempore inſidet: in eâ enim ruſtici noſtrates, ubi ligna ſecant, hyeme eum ſæpè offendunt; ſed ſi ipſis ſit volupe eum conſervare vivum, oportet eos illi de calidiori loco proſpicere, aut in eodem in quo invenêrunt, eum ligno aſſervare.

Menſibus Junio, & Quintil. frequenter eum in viis repentem invenire

nire eſt; tunc temporis commodum quieti ſuæ locum quæritat, ut in eo tranſmutationem ſubeat; & ſibi ad quietem deligit annoſam & propemodùm exiccatam ſalicem, proculdubiò, me judice, ex ingenitâ ſibi ſagacitate & inſtinctu doctus, arborem annoſam, & quæ penè interiit, mollioris eſſe ligni & ſibi quieturo commodiorem, quàm ſolet eſſe florens, & vegeta: hanc quidem ſibi deligit pro domicilio, ob pinguedinem, quæ ipſi in alimentum cedit, illam vero ob mollitiem, atque in illâ ſe tranſmutandam deponit.

Quod ad modum autem attinet, quô hæ erucæ propagantur; is obſcurus eſt, ſaltem mihi non plenè cognitus; imò, meo judicio, ſalvo meliori, non admodùm facilè inveſtigari poteſt quâ ratione progignantur: extùs enim in arboris ligno,

ligno, nullum foramen, nulla rima, nulla foramina, ne quidem exigua, deprehenduntur, & tamen intùs Erucæ inveniuntur. Id igitur ſolummodò certum eſt, haſce ſæpè in medullâ ſalicum offendi, & vero-ſimile, iſthic ex pinguedine & putrefactione, à calore fotâ, gigni, utì multa animalcula, quæ *Sponte orta* vocant, ex putredine, & calore naſci ſolent.

Sæpenumerò etiam expertus ſum, erucas aliquas aſſervare inducens in animum, ut experimento diſcerem, quid iis & ex iis fieret, omnes fuiſſe emortuas: quùmque earum cadavera lagenulis incluſeram, & obturâram illas, multas ex iis muſcas exiguas prodiiſſe vivas, ſine dubiò, è calore & putredine natas.

Quùm autem majores hæ Erucæ jam juſtam nactæ ſunt magnitudinem, quieturis ſibi commodum quærunt

quærunt domicilium; atque in eo ſe occultant, & quieti dant, in novam vitam, aut reſurrectionem.

Ubi ſe in annoſâ & ferè arefactâ ſalice tranſmutandam depoſuerat, viii. Non. Jun. eâ formâ, quâ expictam in Num. 39. videre datur, produxit viii. Cal. Sext. papilionem grandiuſculum, qui eo, in quo ſe primùm deponebat, loco manſit octiduum continuum, atque eò temporis expiravit, claudens alas. Diſcriminis ergô huic Erucæ nomen *Cancro* dedi, quandoquidem Cancro cocto concolor eſt, atque clypeos cancrinis gerit ſimiles: alioqui liceret eam τερατόδη, ſive *Olentem hircum* vocitare; quoniam malè olentem, adinſtar hirci odorem ſolet ſpargere.

1. *Ipſam hanc* Erucam *in* Trunco Quercino *recèns excîſo & in partes ſerrâ diviſo, ego etiam comperi, quo Foramina terebrat, ejus*

ejus magnitudinis, ut digitus humanus in iis verteretur : Romani *methodum nôrant, animalcula hæc altilia facere, quæ pro cibo delitioso,* Cossis *ab iis dicto, venditabant. Rancidum habet fortemque odorem; aliquousque villosa est, &* coloris *subrubri cùm Pallido mixti.*

2. *Observatio de* Salignâ Serragine *refinam præbente curiosa est & nunc primùm a me in ullo* Authore *lecta.* Plinius (lib. 16. cap. 18.) *inquit,* Gallos *viam calluisse, quâ* Bitumen *e* Betulâ *arbore extraheretur, quod æquè inverisimile est; utcunque, in hanc rem facit, quòd aliquæ ex vetustis arboribus e paludosis montibus in* Occidentali distrietu Agri Eboracensis *effossis pro certo fuerunt Betulinæ, & quando aridæ, flammâ tam duraturâ exardescunt ac si* Schidia abiegna *essent, unde* Ligni abiegni *nomine salutantur.*

3. *Quoàd* Spontaneam Erucæ *hujus, aliorumque* Insectorum *generationem, pro parte negativâ jam sententiam meam tradidi. Hoc certissimum est,* Cossos *hos, ab ovis a* Parentibus Animalibus *exclusis, esse productos : æquè etiam patet minutulos hos vermes capaces esse arborem gradatim terebrandi, id est, pro ipso alimentandi tempore, quæ quidem exigua foraminula fortè post plenum eorum ingressum denuò coalescunt, saltem non sunt oculis,*

nisi

niſi Lynceis, aſpectabilia. Addo inſuper, quòd forſan transformationem nullam ſubeant, ſed per multos annos ſub Erucarum *Larvâ manent, quod probè conſentit cum obſervationibus meis; quæ omnia* Obſervationem *valdè tediam reddunt, ſed de veritate ejus planè certus ſum, necnon quòd* Eruca *hæc ab* Animalibus Parentibus, *ſcilicet* Papilionibus, *propagetur ſecundum communem* Erucarum *omnium originationem.*

NUM. XL.

ECce tibi Erucam, Num. 40. exſculptam, & ad vivum delineatam, quam xvii. Cal Decembr. captam, frondibus ſalignis, conſuetâ ſibi eſcâ, tamdiu nutrii, quamdiu illæ inveniendo erant, tamdiu illa quoque eas depaſcebat. Verùm ubi eas non diutiùs nanciſci poteram, jejunabat, & quidem per hyemem integram; ſed quotidiè ſe loco movebat: vita ipſi erat admodùm exigua & debilis, uti & motus,

motus, imò vix vita perceptibilis vii. Cal. April. anni ſubſequentis, teneros aliquot ſalicum ipſi objiciebam ſurculos; ſed tum temporis necdùm ipſam agebat ventris rabies ad edendum; aut fortaſſis ſubodorabatur, eos necdùm ſibi alendæ eſſe ſatis efficaces, neque ſatis ſibi ſapidos; namque ne quidem guſtare avebat: Aſt iv. Non. dicti Menſis ipſi denuò frondes aliquot ſalignas appoſui; verùm tunc eas carpebat, tunc etenim paulò factæ erant majores, & magis alibiles. Hoc etiam in aliis Erucis non ſemel deprehendi; illas à teneris herbis abhorruiſſe, quas poſteà, grandiores paulò, ac majori alendi facultate præditas, avidè vorârunt. viii. autem Id. ejuſdem menſis hæc pedes chartæ affixas tenens, ex cuticulâ ſuâ prorepebat, ut duæ Erucæ chartæ inſidere viſæ fuerint: nam

pellem

pellem exuta, cuti, ex quâ proſerpſerat, planè erat concolor: Ideò ipſi non vulgari ἀπατῶνι, ſeu *Deceptrici* nomen dedi: me fallebat enim lepidè, opinantem duas me habere Erucas, quùm unicam duntaxat habebam: Quùm autem hæc pellem ſuam depoſuerat, edebat ovum, ejuſdem magnitudinis, cujus eſſe ſolent formicarum ova. Pridie Id. Maii, liberidem mutabat denuò; atque iterùm ovum emittebat; at utrumque ovum erat hyponemium, quod barbarè dicitur *ſubventaneum*; utì ventoſa & irrita, quæ gallinæ quandoque ponunt, ova; nihil enim ex hiſce ovis eſt genitum: tranſmutationi ſe dabat xvii. Calend. Sextil. eâ formâ quâ in Num. 40. conſpicitur, & poſt x. dies aureliam in lucem protruſit, quæ ſeptiduum ubi jejuna vixerat, inediâ, aut ſiti periit; quâ enim ſuſtentandæ

ſtentandæ ipſi indigeret eſcâ, non habebam exploratum.

1. *Obſervatu dignum, nil mirum videri debere, ſi hujuſcemodi* Animalcula, Erucas *intelligo, vel pergant in edendo, vel ab eſu, ac proinde nutricatione deſiſtant, prout animadverſum eſt.*

2. *Datur hic quidem perfecta transformatio, &* partus *inſuper* ſpurius; *ſuſpicor* partum ſpurium *eſſe* Ichneumonum Chryſalidem, *eò quòd* Eruca *vixerit: Et ab hâc forſan obſervatione, conjecturam aliquam haurire licet de loco, quo vermes* Ichneumones *paſcuntur, qui veriſimilitèr non eſt intra* Erucæ *corpus, ſed inter Cuticulam vel* Exuvias *ſolùm.*

Hic etenim quotieſcunque Eruca *pellem mutavit,* Ichneumonem *enitebatur, ratio autem, (quare hæ* Ichneumonum Chryſalides, *tanquàm Folliculi figurantur, ita enim primò apparebant, cùm alii uſitatiùs Formâ vermium* Erucam *penetrent, & poſteà mutentur) hinc forſan oriri poteſt, quòd eruca per integram hyemem jejunaret; ita ut, univerſis* Erucæ *pelliculis uſque ad extremam, nondum exutis, vermes hi prorumpere non potuerunt, aut haud ita aptati maturive fuerint ad*

prorumpendum, *ſed* Folliculos *ſibi intra* Erucam *ante tempus contexentes inde ceſſerunt in nihilum.*

Hactenus de *Erucarum* glabrarum, (*i.*) abſque pilis, *Hiſtoriâ*, quæ magis perfecta eſt, utpote quæ *Larvas* ſeu *Chryſalides* ipſas, atque ipſum etiam *Papilionem* junctim *Figuratos* comprehendat. Sequitur jam *Hiſtoria* minùs perfecta (quâ ſcilicet *Chryſalidum* Figuræ ſolùm omittuntur) de genere largiore *Erucarum Glabrarum.*

NUM. XLI.

QUamquàm pleræque erucæ foliis veſcantur, ideóque circa ea inveniri ſoleant; hæc tamen cujus effigiem offert Num. 41. ſub terra de die perpetuò latitat, nec ante veſperam foràs prodit; ſed nocturno tempore ſibi alimentum comparat quod toto die ipſi ſufficiat; adeóque veſpertilionibus quodammodò & noctuis ſimilis

41.



42.



43.



44.



45.



46.



47.



ſimilis eſt. Libenter veſcitur teneris ramuſculis burſæ paſtoris, & erigeri ſive ſenecionis, quibus herbis refrigerandi vis adſcribitur.

Hæc eruca ſe ad tranſmutationem compoſuit vigeſimo-octavo die Aprilis, inque eâ hæſit uque ad Nonum Junii, quo ex eâ prodiit caliginoſus papilio, qui de die non apparet, ſed tempore nocturno in hortis, herbis ac floribus ſibi alimentum quærit.

NUM. XLII.

ERuca hæc foliis violarum veſcitur. Si fortè contingat fociam ejus maturiùs, atque ante ipſam, ad tranſmutationem ſe componere, eam devorat, imprimis ſi nutrimenti penuria aliqua adſit; idque ipſi facile eſt, erucæ enim in mutationis ſtatu jacentes, tanquam

infantes faſciis involuti, aut mortui in ſepulcro quieſcunt, debiles admodùm, & ad motum ferè in totum ineptæ. Eruca Num. 42. delineata, mutari cœpit decimo-tertio Octobris, inque eo ſtatu morata eſt uſque ſextum Junii ſequentis anni, eoque tempore ex eâ erupit papilio cæſii coloris, in Num. 42. expreſſus.

NUM. XLIII.

QUamquàm flores haud multùm ab erucis infeſtari ſoleant, planè tamen ab iis liberi non ſunt; eruca enim in Num. 43. expreſſa, iis non parùm nocet, delectatur imprimis foliis floris caryophylli. Expertus ſum totum diem erucam hanc ſub terrâ latere, neque ante occaſum ſolis prodire. Transformationem ſubire

ire cœpit trigeſimo die Julii, inque eâ permanſit uſque ad vigeſimum-tertium Septembris, & tunc ex eà erupit Papilio ruber, ſub erucâ delineatus.

Erucæ *nudæ ſive glabræ cibamenta ſunt* avibus *gratiora, quàm quæ pilis horrent, prout ipſe expertus ſum in paſcendis* Rubeculis; *ſuſpicor rationem eſſe, quòd pili ſint ventriculis earum inimici. Cenſeo etenim,* Veſicatoriam Inſectorum *facultatem magis in pilis reſidere, quàm in quávis aliâ eorundem parte. Ipſe enim in Pyxidulas quaſdam ſemel inſufflans, quibus Piloſos* Cimices *cujuſdam ſpeciei ſervavi, intra minuta pauca Faciem meam habui puſtulis undequaque commaculatam. Nudæ hæ, ac proinde magis innocentes* Erucæ *inſtinctu naturæ in ſui conſervationem latibulum ſub terrâ quærunt diurno tempore, quando Aves graſſantur & circumvolitant.*

NUM. XLIV.

NUtritur eruca Num. 44. Mercuriali herbâ. Simulàc quippiam non consuetum sibi percipit, in terram se præcipitem dat, instarque mortuæ quiescit corpore in orbem arctissimè convoluto. Mutari cœpit trigesima die Julii, & vigesimo-sexto Augusti formam habuit papilionis sub erucâ descripti, habitu corporis ac colore rariore prædiți. Anteriora corporis membra palliolo quodam obducta conspiciuntur, ornatûs & custodiæ causâ. Longo tempore vixit absque alimento, & ob singularem timiditatem, meticulosam eam nominavi.

Quid intelligat Author per Herbam Mercurialem, *non satis liquet; plures sunt sub eo nomine venientes, ut* Bonus Henricus, Mercurialis Caninus, *&c.*

NUM. XLV.

NUtritur eruca Num. 45. leviſtico; nocturno tempore ſolo edit, de die nunquam. Inveni eam in rimis ceraſi latentem. De die corpus ſuum aliquotiès convertere obſervavi, adeò ut poſteriora locum anteriorum, & vice verſâ, anteriora membra poſteriorum occupent locum. Priuſquàm transformari cœpit, cutem magnâ cum difficultate mutavit, corpore undiquaque tenuiſſimum ſudorem emittente, eumque exiguis guttulis quaſi aqueis perfuſum. Aſſumptâ novâ cute ad tempus aliquod quievit, poſteà ad transformationem ſe compoſuit primâ Junii, ac Julii primâ ex eâ prodiit papilio fuſci coloris. Vigilem hanc erucam nominavi, quòd eam ſæpè corpore

ſurſum elato conſpicerem, tanquàm ſi omnia anxiè circumſpiceret.

Malpighius *Liberidum mutationem in* Erucis, *Dentitioni in Infantibus probè comparavit; utraque enim horrendis ſymptomatis haud rarò ſtipantur.*

NUM. XLVI.

ERucam Num. 46. ſpacio duorum menſium nutrire debui hederâ terreſtri ſive coronâ terræ, quam Belgæ vocant *Onderhave*, antequàm formam mutare inciperet. Herba hæc laudatur à multis adverſus calculum, necnon capitis dolorem, auri immiſſa.

Purgavit ſe, & ad transformationem compoſuit vigeſimâ-octavâ die Aprilis, & vigeſimâ-ſextâ Maii ex eâ prodiit formoſus papilio ſub ipſâ erucâ delineatus. Fulgorem habebat

habebat elegantiſſimum, qui ſine deauratione depingi non potuit. Super capite habet ſimilitudinem duarum plumarum ex pilis æqualiter extenſis. Circum oculos mirum in modum ornatus videtur à Naturâ atque armatus: ſub oculis duo dentes apparent. Sub novâ hâc formâ ſine alimento vixit dies tres.

Quid ſibi velit Author, *per duos dentes ſub* Papilionis *oculis apparentes, planè hæreo, ſuſpicor eum lapſum fuiſſe*; Papiliones *quidem Linguam, Tubulum, cavamque Fiſtulam habent, quorum ope floribus veſcuntur*; *aſt de eorum dentibus, nondum mihi conſtat.*

NUM. XLVII.

HAnc erucam Num. 47. obſervavi delicatam eſſe atque in eligendo nutrimento, quod ipſi ceraſorum folia ſuppeditant, curioſam & admodùm attentam. Aliam

am cœpit formam assumere sexta die Junii & decima-quarta ejusdem mensis apparuit papilio, cum erucâ, ex quâ originem traxit, expressus. Coloris est ingrati, videturque sordido quodam centone indutus; exiguo vixit tempore, & quidem tristis instar ac parum se movens.

Hæc est Transformatio perquàm celerrima, Papilione Aureliæ *larvam exuente octidui spatio, hæc fiebat mediâ Æstate*; Malpighius *observat*, Bombycis Papilionem *eandem mutationem non perficere intra dies decem, vel æstate fervidissimâ. Utinam in examen deduceretur, an succederet, aut secùs? Si* Chrysalis, *declinante anno transformata, in loco lepido poneretur immediatè post mutationem suam, illicò depositâ Larvâ, utrùm fieret* Papilio, *locus, inquam, ille esse possit commodè* Laboratorium *aliquod, aut* Ergasterium Hyalinum. *Omnes* Papilionis *partes in* Chrysalide *quasi epullulant, nondum tamen explicantur, frondent, atque indurescunt.*

Supereſt

Supereſt ut proximo loco de iis *Erucarum* largiorum, glabrarum ſc. *Hiſtoriis* dicamus, ubi vel mutationem imperfectam offendimus, (*i.*) partum quendam ſpurium, vice *Papilionis* figuratum, vel *Erucam* ſolùm, abſque *Aureliâ*, *partu notho* ullóve omninò *Papilione* effigiatam.

NUM. XLVIII.

ALimentum erucæ Num. 48. deſcriptæ, ſunt violarum folia. Fervorem ſolis ægrè ferre poteſt, ideóque circa terram verſatur, ubi facilè latibula invenit: non niſi difficultèr reperitur, ob colorem viridem, quo ab herbis vix poteſt diſtingui. Admodùm meticuloſa eſt, quàm primùm ac audit quippiam, aliquo tempore immota atque mortuæ inſtar quieſcit, poſteà paulatim ſe ad motum accingit, in rependo aliàs ſatis celer agiliſque. Poſtquàm exactè ab omni immunditie

ditie expurgata eſſet, quarto Septembris ſe ad tranſmutationem compoſuit, inque eâ manſit abſque motu ac cibo uſque ad Nonum Maii anni ſequentis, quo ex eâ prodiit muſca ſub ipſâ erucâ typis expreſſa.

Hæc eſt Muſca Carnivora *ordinaria, ideóque* Aurelia *morticina fuit putridáque, quando eam depaſcebat muſca. Si dignoſceres, utrùm* Chryſalis *viva ſit, vel ſecùs, indicium erit ex tactu Caudæ: Nam etiamſi motum localem aut progreſſivum non habeat, in eo ſtatu, illam tamen partem perquàm agiliter movere poteſt. Quoad diutinam* Aureliarum *a Cibo abſtinentiam, neceſſe eſt ut ita fieret, dum ita larvatæ ſint, cùm non habeant Organa ad edendum; utrùm verò non alantur nutrimento quodam, Infantili cibo in utero æquipollenti, ulteriore ſcrutinio dignum judico.*

NUM.


48.
49.
50.
51.
52.
53.

NUM. XLIX.

HAnc erucam quindecim diebus nutrivi foliis ſalicis. Cùm abſtinere à cibo inciperet, anxiè ac valdè movebatur, omnemque in modum (tanquàm dolore magno laborans,) torquebatur; at poſteà lenitèr quievit, ſeque ad tranſmutationem contulit decimo-ſeptimo Julii, atque Auguſti die vigeſimo ex eâ erupit muſca flava api non diſſimilis, cujus figuram vides in Num. 49. ſub ipſa eruca, ex qua prodiit, expreſſam.

Diximus, Ichneumones *e* ſpecie Veſparum *eſſe*; *nil itaque mirum, ſi quoddam* Veſparum Apiumve *genus, formâ haud abſimilium animalculis iis, quas vulgò* Veſpas *ſalutamus, eodem etiam modo nutriantur,* (*i.*) Erucarum *corpora quaſi Refectoria ſua faciant, & fortean ipſam cibi materiam, velut in hoc* partu notho. *Latet adhuc inter*

ter naturæ Arcana, quâ ratione, aut quo cibamento Vermes hi Veſpales *intra* Erucarum *corpora veſcantur; Dolor & anxietas* Erucæ, *quem in mutatione ſuâ ſubiit, inquilini hoſpitis moleſtias ſatis arguebant.*

NUM. L.

HAnc erucam aliquamdiu nutrivi foliis ulmi. Inter rependum duplo conſpicitur longior quàm dum quieſcit. Tranſmutari cœpit nona Septembris, inque eo ſtatu quievit uſque ad vigeſimumquartum Maii ſequentis anni, eoque tempore formam habuit muſcæ mirabilis figuræ ſub eruca expreſſæ. Muſca hæc acerrimus eſt aranearum hoſtis, & ſingulari antipathia eas perſequitur atque occîdit; cùm reliquæ muſcæ reticulis aranearum ſtrangulari ſoleant, iiſque pro cibo inſervire. Expertus ſum muſcas prædictas (dum aranæ

neæ muſcarum capturæ ſtudent, in medio reticulorum ſuorum muſcas advolaturas expectantes,) eas medias arripere & lethali vulnere afficere. Quod ubi animadvertunt araneæ, ſubitò ſe in terram filo quodam appenſas dejiciunt, ſed ſequuntur muſcæ & ſingulos aranearum pedes ordine quodam confringunt, tandem plena jam adepta Victoria, cum gaudio corpus araneæ ambiunt aliquotiès, præ gaudio quaſi exultantes. Id factum ter obſervavi, poſteáque muſcam cum aranea jam mortua avolantem vidi.

Partus hic ſpurius *eſt* Ichneumon, (*i.*) Veſpa, *tenui corpore prædita: Quòd Araneam occidat, res eſt valdè notabilis: Alibi etiam* (*in* Actis Philoſophicis) *obſervationem adſcripſi de hoc* Veſparum *genere, ova ſua intra Aranearum ova deponentium; & quando excluduntur hi* Vermes Veſpales *ipſa Aranearum ova depaſcunt, & temporis progreſſu*

progreſſu in iiſdem aranearum telis in Aurelias *mutantur, atque indè in* Ichneumonas *proprii ſui generis ; unde diſcere eſt audacem* Inſectorum *horum genium, quæ ab araneis ſecura ſunt, idcircò* Inſecta *alia,* Erucas *putà, in ſui defenſionem magis impares, officiis viliſſimis addicere poſſunt, corpora eorum pro ſobolis ſuæ, quaſi* nutriculariis caſis *adhibentia.*

NUM. LI.

QUam hîc deſcribimus, Eruca victitat *Atriplici Sylveſtri* herba, ejuſdem, cujus ipſa eſt, coloris : admodùm tarda eſt, lentè edit, lentè repit, lentè ſe movet, lentè ſe vertit, lenta eſt omnimodò ; rigidi propterea ejus muſculi, & torpida loco moventia ſint organa, neceſſe eſt. Liberidem mutat ſeque transformat quatèr repetitis vicibus, & toties veterem pellem exuit, & deponit, novamque induit, aliamque formam nanciſcitur,

ciſcitur, quemadmodum Serpentes, & Bombyces : Quocircà, ſi eam peculiari velis deſignare nomine, quo ab aliis diſcernas, licebit vocare τὴν τετρακισκαινουμένην.

Hæc autem renovatio, utì expertus ſum ità contigit. Quùm jam finem capiendi cibi faceret, è corpore ejus vermiculus non exiguus paulùm planus, forma illis ſimilis, qui in carnibus gigni ſolent, prorepebat Prid. Id. Septemb. hora iv. pomeridiana. Hic nec edebat, nec bibebat, nec cubabat, nec dormiebat; ſed non niſi ultrô citrôque, huc & illuc meabat, per xiv. horas continuas; aſt interim, dum ſerpebat, pedetentim colore mutabatur, & cutis ipſi magis magiſque dureſcebat, fortaſſis, ut in tranſmutationis ſtatu jam inſtantis, ab aëris frigore, aliiſque incommodis, & ab hoſtibus foret tutior. Serpere

progreſſu in iiſdem aranearum telis in Aurelias *mutantur, atque indè in* Ichneumonas *proprii ſui generis ; unde diſcere eſt audacem* Inſectorum *horum genium, quæ ab araneis ſecura ſunt, idcircò* Inſecta *alia,* Erucas *putà, in ſui defenſionem magis impares, officiis viliſſimis addicere poſſunt, corpora eorum pro ſobolis ſuæ, quaſi* nutriculariis caſis *adhibentia.*

NUM. LI.

QUam hîc deſcribimus, Eruca victitat *Atriplici Sylveſtri* herba, ejuſdem, cujus ipſa eſt, coloris : admodùm tarda eſt, lentè edit, lentè repit, lentè ſe movet, lentè ſe vertit, lenta eſt omnimodò ; rigidi propterea ejus muſculi, & torpida loco moventia ſint organa, neceſſe eſt. Liberidem mutat ſeque transformat quatèr repetitis vicibus, & toties veterem pellem exuit, & deponit, novamque induit, aliamque formam nanciſcitur,

ciſcitur, quemadmodum Serpentes, & Bombyces : Quocircà, ſi eam peculiari velis deſignare nomine, quo ab aliis diſcernas, licebit vocare τὴν τετρακισκαινουμένην.

Hæc autem renovatio, utì expertus ſum ità contigit. Quùm jam finem capiendi cibi faceret, è corpore ejus vermiculus non exiguus paulùm planus, forma illis ſimilis, qui in carnibus gigni ſolent, prorepebat Prid. Id. Septemb. hora iv. pomeridiana. Hic nec edebat, nec bibebat, nec cubabat, nec dormiebat; ſed non niſi ultrô citrôque, huc & illuc meabat, per xiv. horas continuas; aſt interim, dum ſerpebat, pedetentim colore mutabatur, & cutis ipſi magis magiſque dureſcebat, fortaſſis, ut in tranſmutationis ſtatu jam inſtantis, ab aëris frigore, aliiſque incommodis, & ab hoſtibus foret tutior. Serpere

jam desinens, contortum convolvebat corpusculum, & subobscurè pallidum induebat colorem. Tum languens, quantùm potui animadvertere, sese ad edendum denuò accingebat; sed non admodùm avidè vorabat, & subsequenti die moriebatur, aut mori videbatur; immotus enim, nulloque vitæ signo edito quiescebat continuò, usque ad xxiv. Cal. Octob. quo die ex eo prodibat musca, non ubivis obvia, sed rarò, saltem mihi, visa, pedibus oblongis, quorum extremitates in planitiem porrigebantur; hanc existimo tàm in aquis, quàm in aëre vivere uti Cancri, Cammari, Cochleæ, Limaces, hisque similia animalcula, Græcis ἀμφίβια dicta. Magnum huic muscæ caput erat, forma admodùm insolens: plerumque hæc dorso incumbebat, ventre cœlum versus spectante; idcircò eam supinam

ſupinam exſculpſi: Nihil ejus alimenti, quod offerebam, illius palato allubeſcebat, &, quoniam quo victitaret, me latebat, cibi è penuriâ interibat v. Non. Octob.

Hujus Hiſtoriæ *ſenſum expiſcari, res eſt perquàm difficilis. Sine dubio injuria haud levis induſtrio* Authori, Interpretis Latini *ignorantiâ, illata eſt, nam ut cætera omittam, quid cenſendum eſt de* Cal. Octob. xxii. *Dicam quod res eſt, Animalculum perperàm deſcriptum eſt, typiſque expreſſum; ex circumſtantiarum famulatu, potiſſimùm quod quatuor alis præditum ſit,* Veſpa *eſſe debuit.*

Porrò, Termes Carnivorus *eſſe non potuit, quoniam* Eruca *non fuit morticina, ſed viva ipſo tempore eruptionis hujus* Vermis. Author *noſter ſolutionem dubii innuit, quòd* Anomalon *ſive* Amphibium *Animal exiſtimet. Ego nil aliud aſſero, quàm quòd* partus *ſit* nothus, *adeòque quaterna Leberidis mutatio eſt Chimæricum quid.*

NUM. LII.

NIhil invenire potui quo erucam hanc alere potuerim, fortè quia jam ſatis nutrito corpore, relictoque nutrimento, ad tranſformationem jam properabat. Cœpit itaque valdè anxiè agitari turbarique, undiquaque corpore variis modis contracto atque iterùm extenſo, &c. poſteà eruperunt guttulæ aliquot aquæ ſive ſudoris ex corpore expreſſi, quas guttas omnes ſpacio duodecim horarum vidi mutatas fuiſſe in vivas erucas, ſed quia ignorabam quodnam illarum eſſet alimentum, cum matre ſpatio unius diei omnes perierunt.

Author *noſter ſæpè aſſerit id mortuum eſſe, quod non movetur ad ſenſum; Ego tamen exiſtimo,* partum hunc nothum *fuiſſe* Ichneumonis *cujuſdam vermes; quódque vermes*

vermes hi poſt eruptionem in Aurelias *tranſformarentur, quæ forſan fuit ratio pereundi. Compara* Hiſtoriam *hunc cum* Eruca Braſſicali *ſupradictâ, Num. 7. Methodi noſtræ.*

NUM. LIII.

ERucam Num. 53. domi meæ captivam retinui vigeſimo-octavo Maii, anno 1660. aluique foliis alneis ac pyrorum. Ubi ſatis ederat, ſe margini folii cujuſdam tenaciſſimè affixit poſterioribus corpuſculi membris, reliquo corpore deorſum inclinans, ſed capite aliquantulùm ſurſum erecto. Occidente ſole, ſe ad ſomnum molliter componit, capite pauliſper intra corpus redacto, atque ita integram noctem ſomno tranſigit. Sed nonnullæ ejuſdem ſpeciei erucæ ſolent quandoque ſeptendecim aut octodecim horas continuo ſomno abſolvere. Aliæ contra nonnunquam

duos integros dies noctesque motu nunquam interrupto occupantur, sine ullo cibi aut quietis interstitio. Inferiores corporis partes transluciдæ sunt: pugnant interdum inter se vehementer, magnoque conflictu invicem aggrediuntur. [*Plura Author non addidit.*

Fuit de *glabris* universim *Erucis* iis, scilicet Classis majoris, necnon & de earum *Historiis* tàm perfectis, quàm mancis, prout ab *Authore* nostro relinquuntur. Succedet proximè *Erucarum glabrarum* species minor; eodem ordine hic progrediar, ac in majorum descriptione, (i.) *Historias* magis perfectas atque absolutas, ubi tum *Papilio*, tum *Chrysalides* utræque exprimuntur, primo loco disponam.

NUM. LIV.

HÆc Eruca quam repræsentat Num. 54. glabra est, & exigua. Alimentum ejus sunt folia Jacobeæ,


54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.

duc
nui
fin
Inf
cid
ter
flic
Au

l
lic
H
ut
ce
m
in
m
P
m

Jacobeæ, ſive herbæ quæ latinis dicitur flos aut herba Sancti Jacobi. In menſe Julio ſe applicat ſtramini, ramuſculo aut alicui paleæ, ſeque ad quietem tanquàm in ſepulcro quodam abſcondit; veluti Num. 54. oſtendit: involuta eſt materiæ, ſerico flavo ſimillimæ. Poſtquàm eam dies octo prænominatâ herbâ alueram, ad tranſmutationem ſeceſſit vigeſimo quarto die Julii, inque eâ mortuæ inſtar, abſque ullo alimento permanſit uſque ad octavum Maii ſequentis anni; tunc ex eâ productus apparuit papilio quem depictum vides in tabulâ, ex parte niger eſt, & ex parte ruber, non inelegans; priſtinum ferè colorem retinuit, niſi quod flavedo in rubedinem mutata ſit. Sed formâ papilionis domi meæ vixit ſine alimento dies viginti & tres; & poſt ſeminis ejaculationem mortuus eſt.

Eruca *hæc vulgaris eſt, & ſatis nota. Ipſe earum quaſdam habui me penes, è quarum corporibus proruperunt minuti quidam Vermes* Ichneumones, Folliculos *inſignitèr albos nentes.*

NUM. LV.

EXigua Num 55. eruca, delectatur foliis ſambuci. Inque iiſdem foliis ſibi domicilium parat, eumque in finem folia in orbem convoluta contrahit & connectit, ut ſub iis latere poſſit, ne nimio ſolis fervore, aut pluviâ (cujus eſt impatiens valdè) lædatur. Cibum ſumit nocturno tempore, de die immota quieſcit, metuens ne ab avibus deprehenſa devoretur. Tranſformari cœpit vigeſimâ-ſecundâ die Novembris, Anni 1657. eum in modum quem cum ipſâ erucâ in tabulâ expreſſi: ac vigeſimâ-

primâ

primâ Julii, anni 1658. ex eâ mutationis formâ prodiit papilio ibidem deſcriptus, nitidus admodùm atque elegantiſſimè notatus.

NUM. LVI.

HOc Erucarum genus agile, admodùm aſtutum, & induſtrium, ſenſuſque inſuper acuti eſt: novit enim venti flatum, & manus agitationem diſcernere: Nam ſicutì eorum, quæ trado, nihil niſi ἀυτοψία & experientiâ compertum exhibeo, ità & hoc ſæpenumerò vidi, & expertus ſum; Erucam hancce, vento frondes quibus inſidebat, commovente, nullatenus fuiſſe motam; ſed, me manu meâ aërem agitante, atque ventulum ciente, continuò demiſſi fili beneficio, quod ipſa ore ſuo detexebat, deorſum in terram ſe dediſſe præcipitem;

tem; proculdubiò, me judice, ne ſuum læderet, aut offenderet, corpuſculum.

Roſarum hybernarum frondibus hæc victitat, iiſque paſcitur lubentiſſimè; verùm alias herbas, frondeſve guſtare non avet, imò ne quidem attingere. In hiſce frondibus elegantem ſibi, & è telâ ſuâ contextam, ſolet ſtatuere domunculam, in quâ ad ſubeundam metamorphôſin ſe componit præſtituto ſibi tempore.

Huic autem ſe dabat xi. Cal. Junias, & hâc formâ, qua ipſam tabula delineatam habes; atque in ea permanſit uſque ad xviii. Cal. Quint. iſthoc autem die excluſit papilionem, qui jejunus vixit ad ipſas uſque Calendas jam dictas. Hanc erucam papilionis hujus matrem diſcretionis gratia διακριτικὸν, ſeu *diſcretricem* vocavi.

NUM.

NUM. LVII.

HÆc Eruca, quam Num. 57. delineat, ulmorum frondibus victitare ſolet, & ſuper eas nitidum brevi temporis ſpatio ſibi extendere latibulum, idque filo adeò firmo iis annectere, ut poſtquàm uni frondis parti telam affixit, ambas ejus partes contrahat, eaſque ſibi invicem nendo attexat, ſed ità, ut ante & poſt ſe aperturam relinquat. Ubi eam tangis aut offendis, confeſtim & celerrimè per demiſſum tenue, ſed firmum filum in terram labitur, & anguillâ velociùs totum vibrat corpuſculum, fortaſſis, ut inimicis, qui ipſam perſequuntur, terrorem incutiat: æquè etiàm retrorsùm, atque antrorsùm ſolet ſerpere.

Duas hujus generis Erucas habui.

bui. Una transmutandam se deposuit postridiè Cal. Junias, eâ formâ, quam tabella exhibet. At xii. Cal. Quintil. papilionem eâdem tabula depictum, in lucem protulit; qui jejunus vixit per dies x. totidemque noctes. Hunc Masculum fuisse arbitrabar. Altera corpore grandior ad iii. usque Non. Jun. vixit: intùs autem Vermiculis referta erat, qui eam proculdubiò necârunt, veluti lumbrici pueros, juxta veterum & recentiorum Medicorum sententiam, solent interimere. Namque ex cadavere viii. Idus dicti Mensis xxxii. Vermiculi eruperunt; quorum singuli simulatque lucem adspexere, simul operi se adcinxerunt atque nentes reticulum contexuerunt; sub quo latitantes singuli singula sibi è propriâ telâ confecêrunt ova.

Hisce ovis xii. Calend. Quintil.

xxxii.

xxxii. numero exiguæ prognatæ ſunt muſcæ, quas diu ſaccharo ſuſtentavi. Sed ſiquidem brevi morituras præſagiebam, quoniam non libero ſatis aëre fruebantur, eas vitæ, & liberrimi aëris uſurâ donabam.

Muſcas haſce exiles, ſi paululùm fuiſſent majores, in tabulâ depictas exhibuiſſem; ſed quandoquidem viſum effugiebant, manum de tabulâ.

Atque his Erucis Vermiculorum, & Muſcarum parentibus nomen eſto τοῖς μυοσκωληκόκοις.

Muſcæ hæ partus *erant* ſpurius, *atque indubiè* Ichneumones, *nere etenim inceperunt, quamprimùm in lucem prodierint.*

NUM.

NUM. LVIII.

HUjus generis Vermes, quorum unum in tabellâ expictum habes, admodùm noxii sunt: namque avidè depascunt Rosetorum gemmas, & præcipuè adhuc teneras. Has industriè, & artificiosè filorum, quæ nent, beneficio sibi invicem agglutinant, aut quandoque folium rosarii gemmæ annectunt; ut sub hâc, tanquam tecto latitantes, ab intenso Solis fervore se illæsos conservent; atque omnem gemmarum medullam exedunt, nihil facientes reliqui: adeò ut, quandocunq; hi roseta infestatum venerint, nulla vel exigua gignendis Rosis spes affulgeat. Quocircà hos ἀνελεήμονας, Immisericordes, aut ῥοδοφάγους vocitare visum fuit.

Nascitur

Naſcitur hic Vermis è pinguis cujuſdam humoris copiâ, quæ rore, & calore Solis fota, hunc excludit.

Poſt diuturnas à me inſtitutas obſervationes, & facta experimenta; ſiquidem hujuſmodi Vermes non niſi difficulter admodùm ad ſubeundam mutationem cogendo ſeu redigendo ſunt, & plurimi à me ſuſtentati ante factam metamorphôſin, interibant, comperi huncce vermem, ubi ipſis Calend. Jun. transformationi ſe dederat, in hujuſmodi thecâ & forma, qualem tabella delineatam vides, atque ità coopertum, ac ſi candido linteolo fuiſſet obtectus, ix. Calend. Quint. in lucem edidiſſe papilionem, qui ſimulatque excluſus erat, alas ſuas in altum intendebat, ſibi invicem oppoſitas, atque ità ad tempus aliquod conſiſtebat; poſteà in fugam

ſe

ſe dabat progrediens celerrimè ; ſed ſtatim quieſcebat. Quotieſcunque autem curriculo currebat, alas ſibi mutuò ſurſum obtendebat expanſas, & tribus quidem diſtinctis vicibus, continuò : Ubi ſuum jam curſu ſpatium emenſus erat, adinſtar locuſtæ exultabat, & poſteà ſedebat immotus.

Hæc volatilia, ſiquidem ignorabam quid iis ſaperet alimenti, quoque ſuſtentari poſſent, cibi potuſque indiga, viva tamen per v. dies totidemque noctes conſervavi.

Perperam ſuſpicatur Author *noſter, Animalculum quodvis è pingui humore ſive ſucco natum iri, &c. Unica eſt tantùm naſcendi methodus, ſcilicet per* Animales Parentes.

NUM.

NUM. LIX.

HUjus generis Erucæ in initio Maii prodire ſolent, à papilione quâdam, ipſarum matre, jam aridis rubetorum frondibus impoſito. Iſtud enim, ubi per totam hyemem ii; inhæſit, verni Solis colore fotum, ſub extremum veris tales edit Erucas, qualium Num. 59. unam expictam, & exſculptam oculis exhibeo.

Ubi eam, ex quo primùm prodierat, rubetorum frondibus veſci, & delectari compêreram, illarum ipſi ſufficiente copiâ appoſitâ, victum præbui pridiè Non. Maias continuò, uſque ad iv. Non. Jun. quo die illa ſe ad tranſmutationem accingere, & rubeti folium medium perroſum, & diviſum, ut facilè & quaſi ſponte ſuâ incurvaretur,

atque inflecteretur, netis à se telis occludere & in domicilium, & latibúlum, sibi in eo requieturæ, atque transmutandæ fingere, apportatis, & agglutinatis ad majorem sui securitatem, foliis aliis, quo ab avibus, quæ ipsarum consimiles, iis partim victitantes depopulari, & devorare solent, tutiores essent. Hæc igitur iii. Non. Jun. suam ingressa metamorphôsin, eâ formâ, quâ illam Num. 59. tibi delineatam exhibet, xi. Cal. Quintil. excludere papilionem, cineri concolorem, qui recèns editus adinstar vitâ carentis animalculi, immotus quiescere; postmodum celerrimè volare, ut *nervo excussa sagitta.*

Papiliones *hi difficiles sunt comprehensu, quando sub dio volitant, cùm astutè atque agiliter aufugiant; quando lassati, sub foliis latitant; Frigoris sunt admodùm patientes, ipse enim sub veprium etiam foliis, vel mediâ hyeme, eos deprehendi.* Papilio *hic duo-*

deviginti

deviginti diebus mecum vixit, nullo intro-ſumpto cibo.

NUM. LX.

HUjuſmodi exiles Erucæ ferè ſemper inveniuntur in pomi, pyri, ceraſique gemmis floreſcentibus inſerpentes, iiſque ſæpiſſimè inſignem noxam, imò perniciem inferunt, neque iſthinc non niſi difficultèr, & per pluvias atque imbres poſſunt abigi: frigoris ac caloris admodùm patientes ſunt, atque ab eorum injuriâ ſe tueri gnaræ: dictis autem quibus victitant gemmis, ne fervore Solis exiccentur, aſt ut humidæ permaneant, netarum à ſe telarum beneficio, frondes prætexunt, & agglutinant: manè, & veſperi ſub aurâ frigidiori plerunque cibum capiunt, & per xiv. dies continuos.

Flante vento, atque humidâ ne-

bulâ deſcendente naſcuntur, & ſimulac natæ ſunt, prædictis gemmis non leve damnum inferunt, imò eas gangrenæ inſtar ſenſim exedunt. Materia, ex quâ fiunt & conſtant, humida eſt nebula, quæ fervore Solis, & calore arboribus ingenito fota, eas in vivos vermes mutat, quos *Lupi* nomine Ruſticorum vulgus deſignat. Sicuti melligo tritico admodùm noxia eſt, ſtramen ejus penetrat, exteriores cortices corrodit, & medullam denigrat & vitiat, ità quoque hæc nebula magnoperè gemmis floridis nocere ſolet, lupum procreans, qui eas emedullat. Poſtquam xiii. Calend. Jun. hæc Eruca ad tranſmutationem ſe depoſuerat, xiv. Calend. Quintil. colore fuſcum enixa eſt papilionem, qui per duas horas continuas deſidebat immotus, quùmque jam alæ factæ erant duriuſculæ,

riuſculæ & ſiccæ unicam duntaxàt aquæ limpidæ guttulam è poſteriore emittebat corpuſculo, more culicum, & expanſis alis, ſe committebat aëri.

Papiliones hoſce matutino ut plurimùm tempore offendere eſt pomorum floribus inſidentes, atquè ex iis rorem liquidum exugentes; ſed hyeme in ſtabulis, & horreis ſe abſcondunt, quò ut frigus devitent, atque ab inclementis aëris injuria ſe tueantur. Valdè etiam meticuloſi ſunt: ubi eos attingis, ſe loco quidem movent, ſed non avolant, niſi ubi magnoperè infeſtas. Vermis hic antiquitùs Belgis *de Wolf*, ſive *Lupus* dictus eſt.

Author *noſter hic loci vulgare dogma ſecutus eſt (ſicut etiam & nomen ruſticum retinet) de Vermium horum origine: Sed propria ejus obſervatio, de hiſce* Papilionibus *poſt elapſam hyemem ſuperſtitibus, docere contrarium potuit, ſcilicet, quod ipſi vermes*

gignant. Operæ pretium esset Compendia *sive* modos *investigare, quibus arbores fructiferæ ab iis immunes præstentur; interea temporis, operæ nostræ pretium erit eas è gemmis floreſcentibus eximere, primo quoque tempore, ſicut ſegetibus herbas noxias eruncamus. Ratio eſt, quia, unicâ tantùm anni tempeſtate ſimul & ſemel naſcuntur, ideóque ſi Fructus arborei ſemel iis liberentur, ſarti tecti manebunt per anni reſiduum. Sed de hoc alibi plura diſſerere ſtatuo.*

NUM. LXI.

VErſatur plerúnque hæc Eruca prope herbam Calamintham, ſiquidèm aliis herbis, foliiſve non veſcitur: ſempèr madida eſt, & fulgidum, quem limacis inſtar excernit, limum, quocunque locorum ſolet repere, terræ affricat, & adhærentem eum poſt ſe relinquit: admodùm etiam timida, metúve anxia videtur; utplurimúm ſeſe ſub dictæ herbæ foliis occultat, frequentèr

quentèr etiam locum, & ſtationem mutat; & tenebras diurnâ luce magìs amat, velut aviculæ, quæ de nocte volant: ſemper noctu, at interdiu nunquam cibum capit, & quidèm in altum erecto corpore, tanquàm adverſus omnem ſe tueri parata violentiam: ubi autem ſerpit, velocitèr progreditur, forteàn, quòd ſibi malè metuat ab hoſtibus.

Ut cum hominibus, ità & cum Erucis comparatum eſt, ut nunquàm ferè ab inimicis tutæ ſint; atque hæ imprimìs ſuos hoſtes habent, & quidèm, multos, ſed præcipuè paros, qui illas ut vident, confeſtìm arripere, & devorare ſolent. Neque hoc haſce latet, idcircò enim rarentèr admodùm in apricum veniunt, ſed ferè ſemper ſe abſcondunt; & non niſi difficultèr & per vim è ſuo abiguntur latibulo.

Hæc autem, quam tibi Num 61. expictam repræſento, poſtquàm ipſis Idibus Octobr. à conſueto ſibi alimento abſtinere cœperat, ex arenâ, & limo contexebat domicilium, & mutato colore metamorphôſin ſubibat ſuam v. Calend. April. ſubſequentis anni, eâ poſiturâ, quâ in tabulâ eam videre eſt: & viii. Calend. Quint. ex eâ in lucem prodiit papilio, inſignibus diſtinctus maſculis, qui ubi jam viii. dies noctesque continuas impranſus & incænatus vixerat, reſupinum ſe demittebat, atque excedebat è vivis. Huic Erucæ quoniam ſe perpetìm puram nitidamque conſervare ſolet, *Mundæ* nomen eſto; aut, ſiquidèm pari inſidias ei ſtruunt, eamque perſequuntur, & avidè devorant, *Pareſcam* per me licet nuncupes.

Conjicio

Conjicio parùm intereſſe diſcriminis inter Inſectorum Salivam, *eamque* Araneorum, Cochlearum, *atque* Erucarum, *cùm ſint omnes admodùm affines. Ratio quare* Aranei *&* Erucæ Salivæ *ſuæ Filum contexant formentque*, Cochlea *non item, veriſimiliter ab Organis vel Tubulis, per quos ſuccus hic tranſit, peti poteſt, qui quidem Tubuli in* Cochleâ *deſiderantur.*

NUM. LXII.

ERuca Num. 62. originem ſuam habuit ex putrefacto teſticulo anatis montani. Inque eo teſticulo tam diù vivit, ac ullum alimentum poſſit ibi invenire, omniaque conſumpta ſint. Poſteà aliam formam aſſumere cœpit vigeſimânonâ die Maii 1659. modumque tranſmutationis in tabulâ ſive ad Num. 62. hanc tranſmutationem ſubeunt in anatum plumis ita convolutæ atque abſconditæ erucæ, ut nihil

nihil præter exiguum foramen capiti relinquatur, per quod factâ mutatione papilio exire possit.

Septimâ die Junii anni 1659. antè descripta eruca formam habuit exigui papilionis aut tineæ ad Num. 62. delineatæ; habet hæc tinea suam elegantiam, atque inter volandum lætatur admodùm, variisque utitur corporis convolutionibus ac conversionibus aspectu jucundis. Hæ tineæ diù vivunt, nisi aranearum reticulis captæ devorentur. Lucem fugiunt, & loca quærunt abstrusa & obscura, latent etiam nonnunquam in hortis sub herbarum foliis: delectantur enim rore, & aluntur humore tenui ex herbis & floribus nonnullis exsudante, veluti & muscæ quædam: hyeme se abscondunt, & in ruinis, domibus, aliisque in locis delitescunt.

Ex

Ex hâc hiſtoriâ nonnulli conjecturam faciunt, an eruca hujus tabulæ ante tranſmutationem ſuam perfectam formam unquàm fuerit adepta, ac non potiùs, factâ demùm tranſmutatione, nata cenſeri debeat. Quia uſque ad illud tempus permanſit in loco exortûs ſui, ibíque alimentum ſumpſit, ſicut embryones in utero, & pulli gallinarum in ovis ſolent.

Papilio *in æſtate foràs agens, atque hyeme in domibus ſe abſcondens, argumentum eſt ſatis luculentum*, Erucam *ab* Animali Parente, *non autem e putridâ carne, natam eſſe; porrò, Larvatâ jacuit in Carne putreſcente, non tanquam matrice, ſed victûs, naturæ ſuæ congruentis, promptuario, cujuſque mater* Papilio opſonatrix *erat; adeò ut, qualitercunque* Papilionis *partes a priſtinâ ſpecie, quando ſub* Erucæ *Larvâ latitantis, alterentur*; Papilio *tamen ſenſum retinet ejus cibi, quo ſemel ipſe veſcebatur, nec temerè, ſed illic ſolùm ova deponit, ubi conveniens cibus in promptu eſt, quando ſoboles ejus excluditur.* Sequuntur

Sequuntur jam *Hiſtoriæ* minùs perfectæ, de *Erucarum* Glabrarum *Speciebus* minoribus, *viz.* ubi hoc vel illud *Integumentum* in Tabula non appingitur, aut *partus* tantùm *nothus*, vice *Papilionis*, exprimitur.

NUM. LXIII.

ERuca Num. 63. veſcitur foliis ſpinarum tam diù ac ea invenire poteſt. Ubi erucæ hujus ſpeciei ſe ad tranſmutationem accingunt, congregantur in unum locum, habetque unaquæque filum proprium ex quo dependet, quæ fila ruſticorum ligata appellari ſolent.

Hæc eruca paulatim tranſmutari cœpit quinto Junii, & vigeſimo-ſeptimo die ejuſdem menſis, in lucem prodiit tinea in Num. 63. expreſſa, quæ circa ſpineta verſari ſolet, inque iis ſemen ſuum deponit, quod


64.
65.
66.
67.
69.
70. a
70. b
71.
73.
74.
75.
77. a
77. b

quod ibi hæret uſque ad initium ſequentis æſtatis; non enim ſolent erucæ apparere, priuſquàm alimentum ſibi accomodatum inveniant.

Ipſe teſtis fui αὐτόπτης Erucæ *hujus tranſformationis. (Vid. Notas meas.)*

NUM. LXIV.

ERucæ (quarum figuram vides in tabulâ ad Num. 64.) veſcuntur foliis ſalicum, abſcondunt ſe (ne nimio ſolis fervore lædantur) in ramuſculis & foliis filamento quodam contractis. Celeritèr repunt, ac quàm primùm aliquid ipſis non conſuetum aut familiare percipiunt, ſe filamento quodam pendulo ſubitò deorsùm dejiciunt, ne tangentium manu, aut aliâ ullâ cauſâ externâ malè afficiantur. Hæc eruca, quam delineatam vides, ad tranſmutationem ſe compoſuit decimo-

cimo-tertio Junii, ac vigeſimo-primo ejuſdem menſis ex eâ erupit papilio agilis admodùm, cujus effigiem habes ſupra ipſam erucam expreſſam.

NUM. LXV.

FRaxini quoque ab erucis infeſtari ſolent, variæ enim ſunt quæ foliis earum veſcuntur. Eruca Num. 65. expreſſa, callidè ſatis folia fraxinorum in orbem convolvit, iiſque ſibi parat latibulum adverſus æſtum ſolis. Purgavit ſe hæc eruca, & formam mutare cœpit vigeſimo-quarto Junii, & vigeſimo-ſexto Septembris figuram habuit tineæ Num. 65. delineatæ.

NUM. LXVI.

VErmiculus in tabulâ ſive ad Num. 66. expreſſus, originem trahit ex pyri genere, quod ob dulcedinem Belgæ vocant *Suiker-peer* ſive Sacchari pyrum; ex pyro illo naſcitur, inque eo habitaculum habet, & alimentum invenit. Tranſformari cœpit tertio Auguſti, & ſecundo die Julii ſequentis anni, id eſt, poſt menſes undecem, formam habuit tineæ Num 66. repræſentatæ. Toto autem menſium undecem ſpatio, ſine motu atque alimento, mortui inſtar, jacuit & quievit.

Exiſtimandum eſt, Fructus, æque ac Folia, non eſſe æquivocos Inſectorum *quorumcunque Parentes; Papilio verò eſt ſola* Erucarum *mater, &c. Idque non obſtante* Ariſtotelis *opinione* (De Plantis), *necnon & nuperiore*

ore Domini Read *ſententiâ, De* Animalibus *Plantigenis.*

Proximo loco *Hiſtorias Erucarum* Glabrarum, gentis minoris, diſponam, ſc. quæ imperfectæ ſunt, (i.) ubi *partus* ſolùm *ſpurius*, nullus autem *Papilio* delineatur.

NUM. LXVII.

ERucæ hujus formæ magno numero ſalices infeſtant, quorum foliis avidè veſcuntur. Manu aut alio modo contactæ, magno ſe conatu defendunt, poſteriores corporum ſuorum partes celerrimè commovendo.

Quam hìc vides ad vivum expreſſam eruca, novam figuram induere cœpit decimo Septembris anni 1663. atque in eâ mutatione permanſit uſque ad 22 Auguſti anni ſequentis ſeu 1664. quo tempore ſub formâ muſcæ rursùm comparuit,

comparuit, quæ jejuna vitam protraxit uſque ad trigeſimum diem ejuſdem menſis. Erucæ ipſæ ſolent diu multúmque potare, omniaque dulcia magno appetitu proſequi. In transformationis meditullio ovum conſpicitur nigrum, cui originem debet deſcripta muſca.

Hic eſt Partus nothus Muſcæ cujuſpiam Carnivoræ. *Diligens eſt hâc in re* Author *noſter, quòd compendio quodam, ſemel ſaltem, obſervaverit ſe in ipſo* Erucalis Chryſalidis *meditullio*, Muſcæ Chryſalidem *inveniſſe, quod ovum nigrum appellitat : ſine dubio* Erucæ Chryſalis *erat Caro morticina, atque eò temporis* Muſcis afflata.

NUM. LXVIII.

ERuca hæc roſis delectatur, ſimplicium roſarum foliis non contentam, duplicium nutrivi. Simulac ei alimentum dare negligerem, ſe ad mutationem compo-

nebat ; ſed quià obſervaveram ſæpiùs, ex intempeſtivâ mutatione deformes, miſeros atque imperfectos papiliones provenire ; tamdiù ei cibum ſuppeditavi, donec ſponte ſuâ, deſerto nutrimento, ſe ad tranſmutationem accingeret. Purgavit itaque ſe ab omni immunditie, ac mutari cœpit decimo-quarto die Auguſti, & decimo-ſeptimo Junii ſequentis anni, formam accepit muſcæ flavæ in tabulâ depictæ. Expertus igitur ſum erucam ultra menſes decem, mortuæ inſtar, ſine ullo motu aut nutrimento jacuiſſe ; muſca verò, quæ ex eâ prodiit, non erat agilis aut vivax admodùm, ſed tarda & imbecillis.

NUM. LXIX.

ANimadverti erucam hanc præter modum delectari foliis

liis ribesii fructu rubro: sed citò post corporis sui expurgationem, mutari cœpit, nempè duodecimo die Julii, inque eo statu hæsit usque ad decimum-quartum Augusti; eoque tempore, formam induit muscæ ad Num. 69. delineatæ, quæ celerrimi quidem volatus fuit, sed vitam intra quatuor dierum spatium finivit. Erucam ejus *matutinam* (discriminis causâ) vocavi, eò quòd cibum quærere soleret tempore matutino, sub ipso diei crepusculo.

Bini posteriores hi sunt partus *spurii, atque e* Vespali *genere, cùm sint subcrassiores paulò & magis corpulenti, quàm* Ichneumones *usitatò esse deprehenduntur; utcunque cognati sunt generis, & nullus dubito, quin* Author *noster in hisce* Chrysalidibus, Ichneumonum *Chrysalides, sive* Vesparum Nymphas *intùs concluſas, si fortè illas pervestigâsset, invenire potuerit.*

Ex Erucarum Figurâ, ex unâ eâdemque Specie *fore videntur; quocircà* Author *no-*

ſter, inter Partus ſpurios & genuinos *minimè diſtinguens, locis quibuſdam, tametſi paucioribus,* ſpecies *inneceſſariò multiplicâſſe videtur.*

NUM. LXX. *A.*

EXigua hæc eruca excelſa loca amat, ideóque in ſummitate ulmorum reperitur, eorumque foliis nutritur. Frigoris impatiens eſt, eoque facilè enecatur. Mundato (ut fieri ſolet) corpore, ad tranſmutationem ſe contulit vigeſimo-octavo Auguſti ſub reticulo quod ſibi antè confecerat, quod uſque adeò candidum ac nitidum erat, ac ſi argentum fuiſſet politum. Commorata eſt in transformationis ſuæ ſtatu uſque ad primum Junii ſequentis anni, id eſt, ultra menſes novem. Eoque tempore erupit ex eo muſca in tabulâ Num. 70. *A.* expreſſa. Erucam ejus appellavi *Locuſtam,*

Locuſtam, eò quòd ad locuſtarum modum, ſaltu quodam de loco in locum moveretur.

Partus *hic* nothus Veſpa *eſt, proùt apparet ex* Figurâ.

NUM. LXX. *B.*

HUjus farinæ Erucas Ulmorum frondibus, quibus victitant, inſidentes aut irrepentes invenire eſt: hæ paſtæ non ſecùs ac dormitabundæ ſe proſternunt, & extendunt, atquè ità octo decemve continuas quietæ decumbunt horas. Antequàm denuò cibum capiunt, concoctis excrementis alvum exonerant.

Ubi jam præfixum à Naturâ tranſmutationi ſuæ tempus adeſt, ipſaſque ad quietem vocat, per telam à ſe contextam ab arbore ſe in terræ pavimentum demittunt; ve-

roſimilè, meâ quidem ſententiâ, ne vento, arborem ſummam agitante, ſimul infeſtentur, & in thecâ ſuâ metamorphoticâ decumbentes, à venti, pluviæ, aëriſve inclementiâ noxam patiantur, aut etiam, ſiquidem quieti ipſarum ſuper arbore non ità commodus, & opportunus, ac in terrâ, locus datur. In terram delapſæ ſiccum ſibi ulmi decuſſum folium quæritant. Quod ubi jam in terrâ reperêrunt, in iſtud irrepunt, idque artificiosè ab omni parte complicatum & contextum, telârum à ſe netârum beneficio claudunt; corpuſculo ſuo ſuperinduunt tegumentum, argenti adinſtar fulgidum, adeò ut folium ipſis vice ciſtæ, ſeu arcæ, atque argentum vice veſtis ſerviat.

Hoc habitu, & hâc poſiturâ tranſmutandam hæc Eruca ſe deponere v. Cal. Jun. quâ eam Num. 70. *B.*

70. *B.* inſculptam videre eſt ; atque pridiè Cal. dictas ejuſmodi Muſcam in lucem edere, qualem tibi tabulâ ad vivum expreſſam offero. Hancque vivam conſervavi cibo potuque omni deſtitutam ſextiduum : pridiè enim. Non. Quint. exceſſit è vivis.

Hæc eſt altera ejuſdem Erucæ Hiſtoria, *& hic eſt* Partus *etiam* ſpurius ; *verùm e* Muſca Carnivorâ, *vivipara etiam, ni fallor.*

NUM. LXXI.

EXiguæ erucæ, quarum figuram vides in tabulâ ad Num. 71. delineatam, foliis ceraſorum aluntur. Deprehenduntur plerúmque ſub foliis tanquàm umbraculo latere, ne nimio ſolis fervore lædantur. Una ex iis quam experimenti faciendi cauſa conſervavi,

expurgato priùs (ut fieri ſolet) corpore, transformari cœpit vigeſimo-ſecundo die Julii, & quarto Auguſti in muſcam mutata eſt.

Partus *hic* ſpurius (*ex* Figurâ *ejus*) Veſpa *eſt*; *breve, craſſumque corpus habens, quatuor alis præditum.*

NUM. LXXII.

VErmis ad Num. 72. expreſſus reperiri ſolet ſuper folia fraxini, formâ limacis nigræ picis inſtar fulgentis. Tenerrima folia comedit, nihilque reliquum facit præter membranas earum tenuiſſimas, quibus ipſa folia nutriri ſolent. Magnitudinem majorem non acquirit Vermiculus hic, quàm prædicto loco exhibui. Ad tranſformationem ſe compoſuit vigeſimo-octavo Julii, & in muſcam appoſitam converſus eſt. Vermem hunc

hunc cancrum nigrum nominavi, quia posteriora ejus cancro admodùm similia sunt.

Partus *hic* spurius *est* Musca Carnaria, *ut ex* Typo *apparet, ideóque* Chrysalidem *carnem morticinam fuisse suspicor.*

NUM. LXXIII.

EXigua hæc Eruca originem debet humori cuidam, tanquàm semini, quod musca quædam, ex quâ hæccè, ceu matre, nascitur, excretum deponit super frondes viridantis Absynthii. Calore Solis foto ex hoc semine ea producitur. Recèns autem genita hæc Eruca exiguus, & quidem albi coloris, est Vermiculus: ubi autèm humi serpere occipit, confestìm adverso Soli obtendit domicilium, ut sese, siquidèm tener admodùm est, atque Solis impatiens, ab injuriâ nimii

mii caloris vindicet, atque liberum præſtet. Quùm jam ad juſtam, atque ſibi à naturâ præfixam excrevit magnitudinem, celer admodùm atque velox eſt citra exemplum, neque captu facilis; ad auditum minimi ſtrepitus, ſtatìm ſuo egreditur latibulo; ſine dubio, metu mortis anxius, quâ ſui ſimiles ſolent conficere volucres; ideóque è domicilio potiùs ſuo, quàm è vitâ demigrare amat. In terram prolapſus colore ſe terreſtri, aut eo, qui cum terrâ communionem habere videtur, conſpiciendum præbet.

Alimentum, quo paſcitur, Viride eſt abſynthium, cui ſuper impoſitum ſemen erat, ex quo primùm prodierat. Ubi autèm tranſmutari incipit, Viridis abſynthii caulem ad mediam uſque partem perrodit, ut eum reddat flexibilem, & plicabilem, atque eo commodius, & facilius

lius in iſto quieturo ſibi domicilium ex telâ ſuâ nendo conficiat. Prid. Non. Jun. Vermiculus hic ad tranſmutationem ſe compoſuit; eâdem formâ, quâ ipſum in tabulâ delineatum vides. iv. autem Id. dicti menſis denuò hæc Eruca in Vermem verſa prodiit, qui xviii. Cal. Quintil. Muſca & colore, & figurâ primæ omninò ſimilis erupit, quæ derepentè poſt elapſum unius quadrantis horæ ſpatium, alterò tantò major excreverat, atque primùm erat, ubi prodierat. Hanc diu aquâ cum ſaccharo miſtâ ſuſtentavi. Quùm autèm volabat non vulgarem, at altum & admiratione dignum, quamquàm corpore exigua erat, excitabat ſtrepitum, Tandem eam aprici aëris uſurâ donabam, & *exiguæ latitricis*, ſeu μικρᾶς φωλιήτιδος nomine.

Partus

Partus *hic* nothus *eſt* Muſca Carnaria, *cujuſmodi muſcæ, quando circumvolitant, conclave univerſum ſtrepitu bombylante complere ſolent, ut ſatis notum eſt. Extant hìc in* Latino *exemplari errores quidam minùs intelligibiles.*

NUM. LXXIV.

ERucam, cujus hâc tabulâ figuram exhibeo, plerumque non procùl à Roſariis, imò ſæpè in eorum frondibus repentem, aut ſedentem videre eſt. His etiam hæc victitat, ut alimento. Segnis valdè, atque in ſerpendo tarda eſt: ubi eam attingis aut offendis, ſe neutiquàm, ad inſtar multarum aliarum Erucarum, tueri aut defendere novit, ſed corpuſculum ſolummodò contrahit & involvit, & lentè quidem: tùnc etiam mortuam ſe ſimulat, metu fortaſſis anxia, ne occidatur.

cidatur. Ubi ad ſatietatem paſta eſt, ità ſe proſternit & extendit, ut ipſam dormire diceres: ſed plerúnque non niſi noctu comedit, fortè ne ab avibus interdiù volantibus, comedens apprehendatur, & devoretur.

Retiformem,& ſplendidam quóque ſibi nendo fingit domunculam, in quâ ſe transformandam componat. xiv. Cal. Octobr. eâ formâ,quâ ipſam tabella tibi repræſentat, transformationi ſe dedit, ſed demùm pridie Id. Maias anni ſubſequentis in lucem protulit nigri coloris Muſcam, quæ ſeptem duntaxat dies totidemque noctes vixit: nihil enim quod ipſius palato allubeſcebat, quodque guſtare avebat, illi nôram apponere: interèa temporis continuò ad libertatem adſpirabat, & in aprico aëre vagari ſtudebat; ſed ſpe ſuâ fruſtrata, tandem

tandem inediâ periit. Huic ἄεργος, ſeu *pigræ* nomen dedi.

Hic partus ſpurius *eſt* Ichneumon, *ſicut apparet ex* Figurâ.

NUM. LXXV.

QUo Erucarum hocce genus ſe ſuſtentat Alimentum, Junceum, ſive Scirpeum, & colore ſubobſcurum gramen eſt, quod in locis humidioribus, & in foſſarum marginibus copioſè naſci ſolet. Imò hæc, quam 75. tabula ad vivum tibi ponit ob oculos, à me detenta, nihil aliud herbæ, graminiſve, niſi dicti, guſtare avebat aut attingere; quinimò hocce ſibi conſueto alimento deſtituta, interiiſſet. Tardè admodùm comedebat, & prorepebat. Ubi jam depaſto iſthoc gramine ſaturata erat, atque ab eſu deſiſtebat, tertiò

tertiò tantò fiebat minor, atque fuerat eſuriens. iv. Non. Jun. è poſteriori ejus corpore Vermiculus erupit, ex quo iv. Idus ejuſd. Menſis muſcula prodibat, quæ uſque adeò exilis erat; ut illam ad vivum penicillo delineare vix potuiſſem, ideóque non voluerim.

Ubi autèm hæc v. Non. ad tranſmutationem ſeſe depoſuerat, eâ forma, qua tabella eam tibi conſpiciendam offert, non abſimilis videbatur contorto, & convoluto è Peto, ſeu Tabaco orbiculo. Hinc ipſis Cal. Sextil. Muſca quædam prorupit, cujus corpori alæ adeò arctè conjunctæ erant, ac ità pellucidæ, ut iis deſtituta videretur. Muſca hæc forma majorem formicam referebat, & progrediebatur celerrimè, non expanſas ſed tergo ſemper arctè impactas alas gerens. Poſtquam hæc jejuna, & cibi potúſque

túſque indiga per duas apud me diverterat hebdomadas, tandèm fame ſitive periit; me latebat enim, quo id Muſcarum genus alimento victitabat. Haſce autem Erucas, ſiquidem & eſu, & curſu admodùm tardæ ſunt, diſtinctionis ergô Βραδύτατας, ſeu *Tardiſſimas* nuncupavi.

Rariſſimum eſt, Erucam *unam duos* partus ſpurios *edere poſſe*; Hiſtoria *autem hæc pro inſtantiâ eſſe valet, rem ita ſe habere, imò & utrumque partum eſſe* Ichneumonicum.

NUM. LXXVI.

EXiguarum iſthoc Erucarum genus Aquilegiæ, adhùc teneræ, paſci ſolent frondibus; foliorúmque marginibus ita ſe agglutinant, ut divelli vix poſſint, imò ut in partes ſe potiùs ſinant diſtrahi. Sæpenumerò id expertus, eas

φυλλοκρίτας;

φυλλοκάπτας, ſeu *Folitenaces* nuncupavi.

Quaſcunque herbas, ſeu plantas infeſtatum veniunt, earum, ſive roſarum, ſive uvarum urſinarum, ſive criſparum folia, gangrænæ adinſtar proſerpentis, exedunt: ubicunque ſe locorum deponunt, iſthinc haud facilè, niſi ſummâ adhibitâ diligentiâ, deturbando ſunt. Majores & minores inter ſe commixtæ ferè ſemper inveniuntur. Uſquè adeò etiam Aquilinarum, ſeu Columbinarum foliis ſunt ſimiles, ut ab iis primo intuitu vix dignoſci poſſint. Pluvias, ventos, & frigidam aëris tempeſtatem, quorum aliæ Erucæ pleræque impatientes ſunt, hæ non ſolent extimeſcere. Simulátque ſtramine ſeu bacillo ſe levitèr duntaxat attingi ſentiunt, poſteriora ſua ultrò citróque, mirum in modum, vibrant & agitant.

Hæc autem v. Id. Jun: apud me Metamorphôſin ſubibat, in tali thecâ, & formâ, quâ Num. 76. depictam videre eſt. Atque ex illâ ejuſmodi, & colore nigricans, Muſca, qualem itidem in tabulâ conſpicis, in lucem prodibat ix. Calend. Quintil.

Muſcarum hoc genus ſæpiùs matutino tempore, ante Solis ortum uvarum urſinarum foliis inſidens reperire eſt, & rorem, conſuetum ſibi alimentum, delambens. Sed alimento deſtitutum ultra bidui ſpatium vitam haùd extendit.

Partus *hic* ſpurius *eſt quædam* Muſcæ Carnariæ *ſpecies*, Chryſaliſque *eſt ejuſdem Muſcæ mutatio, ideóque claudicat aliquâ ex parte hæc obſervatio.*

NUM.

NUM. LXXVII. *a.*

EXistimo hanc erucam omnium reliquarum maximè notatu atque admiratione dignam esse. Semèl duntaxàt de die comedebat, & quidem pauca admodùm salicum folia; hoc peracto, corpus instar canis venatici in orbem convolvens, quiescebat usque ad meridiem diei sequentis, túncque iterùm exiguo alimento assumpto, denuò ad quietem, ut antè, se componebat. Idque ita observatum usque ad Septembris diem ultimum anni millesimi sexcentesimi quinti, quievitque habitu corporis nunquàm mutato, adeóque quantùm experiri potui, sine ullo motu, usque ad vigesimum-quartum Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quinti. Pluma exigua quo-

Hæc autem v. Id. Jun: apud me Metamorphôſin ſubibat, in tali thecâ, & formâ, quâ Num. 76. depictam videre eſt. Atque ex illâ ejuſmodi, & colore nigricans, Muſca, qualem itidem in tabulâ conſpicis, in lucem prodibat ix. Calend. Quintil.

Muſcarum hoc genus ſæpiùs matutino tempore, ante Solis ortum uvarum urſinarum foliis inſidens reperire eſt, & rorem, conſuetum ſibi alimentum, delambens. Sed alimento deſtitutum ultra bidui ſpatium vitam haùd extendit.

Partus *hic* ſpurius *eſt quædam* Muſcæ Carnariæ *ſpecies*, Chryſaliſque *eſt ejuſdem Muſcæ mutatio, ideóque claudicat aliquâ ex parte hæc obſervatio.*

NUM.

NUM. LXXVII. *a.*

EXistimo hanc erucam omnium reliquarum maximè notatu atque admiratione dignam esse. Semèl duntaxàt de die comedebat, & quidem pauca admodùm salicum folia; hoc peracto, corpus instar canis venatici in orbem convolvens, quiescebat usque ad meridiem diei sequentis, túncque iterùm exiguo alimento assumpto, denuò ad quietem, ut antè, se componebat. Idque ita observatum usque ad Septembris diem ultimum anni millesimi sexcentesimi quinti, quievitque habitu corporis nunquàm mutato, adeóque quantùm experiri potui, sine ullo motu, usque ad vigesimum-quartum Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi quinti. Pluma exigua quo-

tidiè corpus ejus contingebam, ut certò conſtaret an viveret necne, vidique eam vivam, ſeque poſt leviſſimum contactum moventem, annos duos integros & dies viginti quatuor, & quidem ſine ullo planè nutrimento aut loci mutatione. Nullam mutationem in eâ obſervavi, præterquàm quòd diuturno illo jejunio corpus ejus manifeſtè diminutum fuerit.

NUM. LXXVII. *b.*

AQuilegiorum plerunque, & quandoque Roſetorum foliis hæc Eruca veſcitur. Jam ſaturata, veluti Echinus, ſe in orbiculum convolvit, & formam, quâ in Num. 77. *b.* eam expinxi.

Hujus generis aliquot per aliquot annos domi meæ continuos continui, & ſuſtinui, verùm ſempèr, non

non tranſmutatæ, tandèm obiêre; proculdubiò, quoniàm quid ipſis deërat, quod ſubeundæ metamorphôſi opus erat. Ubi ejus mihi rei in mentem venerat, harum unam vitro, terrâ referto, incluſi, illique de victu proſpexi: poſteaquàm eam per aliquod tempus ſuſtentâram, comperiebam illam in terram irrepere, & inferiori vitro amplam ſibi effingere domunculam, beneficio humoris limoſi ex ore, & cuticulâ effluentis, in formam fornicis arcuati, ne terrâ ſublapſâ deorsùm conſideret; deinde ſeſe terræ circumquáque intexere, ut ipſa terræ gleba videretur: uſquè adeò enim terram coarctârat, illique ſe impegerat. Hinc judicabam, & hanc ſuo ſuiſve hoſtibus infeſtari, neque id eam latêre; ſiquidèm ſic ſe terræ inveſtiebat, ut ab hoſtibus nec videri nec diſcerni potuerit. Factum

à ſe fornicem, ut in eâ quieſceret, & decumberet per tranſmutationis tempus, ſibi conſervandæ non ſufficere ducebat; ſed ſe glebulæ intexebat inſupèr, ne ab hoſte videretur, & apprehenderetur, ſed ſe ut ſervaret, ſpeciemque ſuam propagaret & perennem faceret. Ita etiam hæ, in aprico vagantes campo, procul omni dubiò ſe tueri aſſolent, metu mortis, alióquin ſibi ſuiſque poſteris inferendæ.

iv. Cal. Sextil. hæc Eruca ſe quieti dabat jam tranſmutandam, eâ poſiturâ, quam tabella delineat, atque in illâ permanebat ſeptiduum omnis omninò motus, & quaſi vitæ expers: Ipſis Non. autem menſis dicti muſcam, & viii. Idûs aliam excludebat; quæ ambæ, ubi aliquantiſpèr quiêrant, ſeſe mutuò amplexæ coibant, ut columbus cum columbâ, ex inclinatione naturali,

turali, ſuam propagandi ſpeciem. Has Aquilinæ ſeu Columbinæ foliis me ſæpenumerò αὐτοψία docuit ſuum imponere ſemen, pinguem humorem, colore viridem, ſed adeò exilem, ut vix videndo ſit, imò non niſi lynceis, & valdè perſpicacibus oculis: ubi utramque hanc muſcam per aliquod tempus melle & aquâ mixtis alueram, & ſuæ voluptati ſiveram obſequi, potulento eas alimento privavi, ut mater aut nutrix infantes à mammâ ſolet diſjungere, eum duntaxat in finem, ut experiter, quamdiù privatæ poſſent alimento vivere. Verùm non admodùm diù valebant ſitim tolerare: conſueto enim potu deſtitutæ, unicum ſolummodò triduum & trinoctium vivebant. Hiſce autem Erucis duarum harum muſcarum matricibus, eò quod paſtæ ſe in orbem convolvant συμπλεκομέναις

ſeu *Convolutricibus* nomen dedi.

Tertiâ hac vice Author *noſter* Animalculum *unum duplice* Hiſtoriâ *tractavit.*

Multa quidem hic occurrunt animadverſu digna, necnon & explicatu difficilia: In Hiſtoriâ *primâ, diutina* tranformationis *protractio, etiam ſupra biennium, eſt admodùm notabilis. In* Hiſtoriâ *ſecundâ,* Authoris *diligentia eſt ſummè laudanda, quòd Terram animalculo ſuppeditaverit.*

Porrò, uterque partus ſpurius *ſunt* Ichneumones, *ſicut apparet ex* Figurâ: *Copulatio eorum extraordinaria eſt, hactenùs nunquam ab Authore noſtro* obſervata, *tametſi viceni aliquot ſimul prodierint.*

Adjungit etiam narrationem de ſemine *ſive* ovis *horum* Ichneumonum, *quæ (frequenti obſervatione) tam minutula eſſe perhibet, ut vix videndo ſint, niſi oculis admodùm perſpicacibus & quaſi aquilinis; ſuſpicor hallucinationem quandam in hâc obſervatione, (pinguis hic viridiſque ſuccus excrementum poſſit eſſe, magis quàm ova) crederem ego, ova muſcarum* Ichneumonum *fortéan ab* Erucis *inter paſcendum inſorpta atque deglutita intra* corpus Erucale, *citra digeſtionem excludi; verùm nil aſſero dogmaticè, cùm nunquam adhuc αὐτοψίᾳ vel unius* Ichneumonis


78. a
78. b
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89

neumonis ſemen *aut* ova *excluſa conſpexerim.*

Hactenus de *Erucis* glabris, quà majorum, quà minorum etiam, gentium: Supereſt, ut proximo loco *Erucarum Piloſarum* Hiſtorias ſeriatim diſponeremus.

NUM. LXXVIII. *a.*

HUujuſmodi Erucæ, cujuſmodi unicam in tabulâ repræſentatione expreſſi, alni veſcuntur & aluntur frondibus. Harum duabus per longum tempus victum ſuppeditavi, ut experirer, qualia ex his prodirent animalcula, atque undè hæ ducerent originem. Ambæ ejuſdem erant formæ, & coloris, præterquàm quòd una magis albicabat alterâ, una ſe ad tranſmutationem accinxit xv. Cal. Quintil. & ipſis Id. Menſis dicti papilionem partu edidit, vigoris & animi plenum,

num, & extenſis in altum alis ludere, & iteratis aliquot vicibus ſe in orbem vertere ſolitum: hunc vivum duodecim dies, ac noctes, quamdiù poteram, ſervavi.

Aliam inſupèr hujus generis nactus eram, cæteris conformem planè & concolorem, at malè ſe habere videbatur; cibum enim faſtidiebat, & tremebat pilos in fronte natos, adeò ut eam dixiſſes febrire; namque inhorreſcebat, velutì quibus febris cum horrore ingruit; ſe tamen tranſmutandam depoſuit xi. Cal. Quintil. eâ formâ & colore, quâ illa, quæ prædictum papilionem enixa erat, ad vivum efficta in Num. 78. *a.* Aſt ex eâ muſca prodiit Prid. Cal. Quint. quam in tabellâ quoquè expreſſam videre eſt. Hæc curſu admodùm erat agilis, & velox, frequentèr ludebat alis, & exiguis, quæ in fronte

fronte gerebat, cornibus; mellis delectabatur victu, & erat edacitatis immoderatæ: ſi libuiſſet hanc aliquamdiù ſuſtentare, habuiſſem hoſpitem non parùm edacem, nec inimicum cænis mellitis; propriâ itaque ſivi eam quadrâ vivere, jam gnarus, cui deberet originem, quidque ex ejus ſemine, in Ulmi frondes excreto, & Solis calore foto naſceretur, Eruca nempe, mirificè propagans ſobolem, dicta mihi θαυμάσιος, *Miranda* ſive ψυχομυαγρευὲς, quandoquidem vel papilionem, vel muſcam gignit, & admirationem meretur. Eam itaque liberioris aëris uſurâ donabam.

NUM. LXXVIII. *b.*

ERuca altera (de cujus conſorte experim. proximè ſuperiori egi, quæque papilionem excluſerat) tranſ-

tranſmutationi ſe dedit xii. Calend. Quintil. eodem cum alterâ colore, & formâ eâ, quâ in Num. 78. *b.* ſe offert expictam. At vi. Id. ejuſdem menſis ex eâ prodiit forma mirandum animalculum, alis deſtitutum, at corporis partem poſteriorem craſſam, atque ovis habens refertam, & pellucidâ membranulâ obtectam, per quam ova ſeſe conſpicienda dabant. Poſtero die omnia deponebat ova, &, ſiquidem membranula, adinſtar *verbaſci*, lanâ cooperta erat, lanam evellebat, eâque tegebat ova ſua; proculdubiò ex ingenitâ ſibi ſagacitate, ut calida, & illæſa manerent: tùnc temporis nihil ei erat reliquum, niſi corporis pars anterior, & pedes; & forma ſua ſimilis araneæ, anteriori corpore, & pedibus progrediebatur. Ubi jam jejunum per dies ac noctes duodeviginti vixerat, vivere deſinebat,

desinebat, ex cibi potúsque defectu; consuetum enim ipsi, quo victitaret alimentum, mihi non erat exploratum: Eodem quo interierat, die, ex ovis quamplurimæ proruperunt Erucæ, quæ simulac exclusæ erant, quaquaversùm prorepebant. Has sivi victum quæritare suum; educandi eas mihi non erat animus, siquidèm præsagiebam, non exiguam mihi id opus creaturum fore molestiam; & quid ex iis nasceretur, jam perspectum habebam. Quandoquidèm autem transmutatum hoc Erucarum genus politorum à se ovorum diligentem & solicitam solent curam gerere, eas τῶν περιμερίμνων nomine notavi.

Advertendum est, singula in Historiâ *primâ renunciata cum observatis meis probè consentire, cùm* Ichneumon *illìc prodeat ex* Erucæ Chrysalide; *necnon, præter* Partum spurium,

ſpurium, *datur etiam* Papilio, *viz. Partus* genuinus & legitimus.

In Hiſtoriâ *ſecundâ, bina occurrunt admodùm notabilia. Primum eſt* Partus monſtroſus, *ſive* Papilio, *alis deſtitutus; hic, inquam, non eſt* Partus ſpurius, *ſed quid* Monſtri *in* Naturâ, *qualis eſſet* avis *excluſio abſque alis. Secundum eſt magis adhuc mirabile*, prodigioſam hanc Fæmellam *ova ſua deponere, (quod commune eſt toti Papilionum generi, quamprimùm naſcantur) abſque maris copulatione; accedit etiam, quod maximè mirum, ova hæc excludi, (i.)* Prolifica *eſſe, abſque maſculo;* (Vid. Malpighium de Bombyce) *ubi hæc una cluit ex optimis ejus obſervationibus, viz. Coloris* mutatio *in earum fæmellarum ovis, quæ maros admiſerint; quódque ova illa, abſque maris coitu excluſa, nec in illum* colorem *tranſmutentur, nec ſint* prolifica. *Hoc ipſe affirmare poſſum, me* Papilionem *quendam ſervâſſe quæ ova ſua Pyxide depoſuit, ex quibus quidem ovis poſt certum tempus ſoboles excluſa fuit; utrùm verò* Papilio *marem admiſiſſet, priuſquàm in manus meas venerit, non auſim dicere.*

NUM.

NUM. LXXIX.

ERuca Num. 79. mirabilis eſt figuræ. In dorſo gerit formam quatuor flaveſcentium ſcoparum, quibus veſtes mundificari ſolent: è fronte duo prominent quaſi limacum cornua, ex utroque latere ſimilitudinem habet duorum remorum, quorum unus niger eſt, alter flavus: in parte corporis poſteriore forma plumæ apparet, omniaque hæc pilis conſtant. Alimentum hujus erucæ ſunt prunorum folia. Magnâ anxietate pellem mutat, quotieſcúmque id fit, corpus ſuum madidum ac ſudore quaſi perfuſum, plumâ ante deſcriptâ abſtergit & exſiccat: Totâ die poſteà quieſcit ſine alimento, os quippè ipſi totumque corpus ſolito mollius eſt ac tenerius. Poſtquàm

ſe

ſe purgaſſet, mutari cœpit vigeſimo die Junii, inque ſuâ hæſit transformatione uſque ad trigeſimum ejuſdem menſis, eoque tempore ex eâ erupit animalculum miſerum, quod neque papilio eſſet neque eruca. Ratio defectus fuit, quòd ante tempus a cibo abſtinuiſſet, & corpore nondùm ſatis perfecto ad tranſmutationem perveniſſet.

Authoris *verba non ſunt ſuperciliosè interpretanda, patet enim* Animalculum, *Tabulâ deſcriptum, fuiſſe* Papilionem, *ſed, ut* Author *probè obſervavit, Famelicum: Cujuſmodi plures ipſe habui, quorum alæ adhuc imperfectæ fuerant, aut ſaltem inhabiles ad expandendum.*

NUM. LXXX.

ERuca in tabula ad Num. 80. deſcripta, miræ eſt ſtructuræ ac figuræ: ſuper dorſum quinque gerit pilorum faſciculos, in capite autem

autem duos cornuum inſtar, atque in corporis extremitate unum caudæ loco; ex illis faſciculis pili quidam prolixiores eminent, ornamenti cauſâ. Reperitur circa mare & colles arenoſos, ibi enim variis herbis nutritur. Nullam tamen herbam invenire potui, quâ veſci cuperet, ideóque ſtatim eam depinxi, nam alimento deſtitutus ad transformationem properabat, involucrum ſibi ex corporis capillis parans. Mutari itaque cœpit decimo Julii, ac octavo Auguſti in lucem prodiit papilio. Quùm ſe primùm viſui offerret, anterioribus pedibus oculos tegebat, quaſi lucem ferre nondùm valeret.

NUM. LXXXI.

MIſſa mihi hæc erucæ ſpecies Bergozomio, a Nobiliſſimo

mo Conſiliario *D. in Cruyningen, &c.* deprehenſa in malo Armeniacâ. Poſtquàm domi meæ eam retinui, nullo uti voluit alimento, ſed ad transformationem ſe præparavit ſeptimo Octobris 1664. ac vigeſimo Maii ſequentis ſive 1665. anni, formam habuit papilionis cinerei hic appoſiti. Anterioribus pedibus ſolet caput integrum ità contegere, ut nullo modo appareat; fœmella videtur, quià poſteriora corporis gravia ſunt ac craſſa, quod ovorum ibi deliteſcentium indicium ferè comperitur. Jejunus vitam protraxit uſque ad trigeſimum diem Maii, multaque (antequàm extingueretur,) ova reliquit, ſed defectu maſculini ſeminis, infœcunda omnia.

Quouſque ſententia hæc de ovis infœcundis cum obſervatione, Hiſtoriâ 78. *memoratâ, concordet, aliorum ſit judicium.*

NUM.

NUM. LXXXII.

ERucam Num. 82. admodùm ſiticuloſam eſſe expertus ſum; cùm bibit, immergit caput aquæ, & attollens corporis partes anteriores, potum in modum Gallinarum noſtrarum, repetitis aliquotiès vicibus, deorsùm demittit. Nullo alimento utitur præterquàm majori graminis ſpecie. Poſtquàm expurgata eſſet, ſe ad tranſmutationem & quietem compoſuit ſeptimo Junii die, inque eâ hæſit uſque ad tertium Julii: tunc ex eâ prodiit papilio mediocriter magnus, ſubflavus, in utrâque alâ lineâ rubrâ notatus, cujus figuram vides in tabulâ expreſſam. Hanc erucam de die ſomnolentam eſſe, ſempérque quieſcere animadverti; at tempore nocturno agilis eſt, & in perpetuo motu.

NUM. LXXXIII.

TArdiſſimi motus eſt eruca appoſito Num. 83. repræſentata, tardiſſimo animali nomine *Haut*, Indiæ Occidentalis incolis ſatis noto, non abſimilis. Nullo à me oblato cibo uti voluit. Fuſci coloris plumâ, quam in poſteriore corporis ſui parte gerit, univerſum corpus exactè purgare atque abſtergere ſolebat. Contacta, eâdem ſe plumâ, ad defenſionem parabat.

Priuſquàm ſe ad Metamorphôſin ſubeundam accingat, immotam ſe atque mortuæ in modum continet. Novam formam cœpit aſſumere ſecundo Octobris 1663. ac ſecundo Maii ſequentis anni 1664. ſub ſpecie papilionis albi ac robuſti comparuit. Acicula eam transfixi, ne volatu nitidiſſimam

ſuam

ſuam albedinem diſſiparet, & ſic in vitâ ſuperſtes manſit uſque ad ſextum ejuſdem menſis diem.

Inſolito quodam miroque modo ſe ad formæ mutationem compoſuit. Primò enim ſibi expanſum undique reticulum ex ſucco ſui corporis produxit. Intra illud, aliud rete ſubtilioris fili & ambitus minoris confecit, quod prius reticulum non contingebat, ſed in pilæ modum, intra illud pendulum, & denſum adeò ac compactum, ut viſu illud nemo poſſet penetrare, atque intra illud originem ſuam novam atque aliud vitæ genus expectavit.

NUM. LXXXIV.

SEtoſa ſeu hirſuta hæc Eruca, cui idcircò τῇ λασίῳ, *Setigeræ* nomen dedi, avidè veſcitur foliis viri-

dibus Scolymi ſeu Cinaræ : quotieſcúmque ſaturata eſt, in terram irrepit. Propridiè Cal. Septemb. hæc cutem exuebat & jejuna decumbebat, uſque[illegible] denuò ſetæ accreverant, atque ea mordendi facultatem nacta erat, ad Non. aut viii. Idus menſis dicti ; hæc etenim mihi eveniunt quandoque uno die vel biduo citiùs aut tardiùs, quàm alteri.

Quarto Id. ejuſdem menſis ad ſubeundam ſe accingebat tranſmutationem in thecâ, quam Num. 84. exhibet. Septimo Id. Maii ſubſequentis anni indè prodibat papilio albus, qui per biduum omnis omninò motus expers quieſcebat, non ſecùs ac inanimis ; poſteà vitæ exerebat indicia, ſeque agitabat, & vibrabat, adeò ut dixiſſes œſtro percitum ac furere : nullo eum modo poteram ad quietem redigere, aut edendum :

edendum: at iii. Id. expirabat præ defectu alimenti, me latebat enim quo victitaret.

NUM. LXXXV.

ERuca hæc alnorum alitur foliis; totum ejus corpus hirſutum & ſetis quaſi exiguis ac piloſis obſitum eſt. His capillis commotis aut manu attactis, inſigni quâdam vehementiâ caput poſterioribus ſui corpuſculi partibus impingebat. Unâ nocte omnem ſuam viriditatem amiſit, totaque nigra evaſit, adeò ut hanc coloris mutationem viſu ſatis obſervare potuerim: Capillos omnes notabili vi concuſſit celerriméque commovit, ita tamen ut cutis nullo modo mutaretur.

Ad transformationem ſe compoſuit ſexto Octobris 1663. tali

figurâ ac illis ipſis coloribus, quos in tabulâ expreſſos vides. Trigeſimo die Junii anni ſequentis 1664. in lucem prodiit papilio ſubtriſtis coloris, maculis albis notatus, qualem tibi offert tabula, uſque ad duodecimum Julii diem vixit admodùm quietus, tandèmque nullo ferè obſervato motu, vitali ſpiritu orbatus atque extinctus eſt.

NUM. LXXXVI.

HUjus figuræ erucæ celerrimo motu ſe de loco in locum transferunt; ac, ſine diſcrimine, quocumque ferè herbæ ac foliorum genere veſcuntur; ut trifolio, thymo ſylveſtri, foliis ulmi, ſalicis, multiſque aliis; adeò ut nulli alimento ſe adſtrictas nôrint; cùm pleræque aliæ erucæ, inediâ priùs conficiantur, quàm ut alio, præterquàm

quàm ordinario, nutrimento utantur.

Nunquàm vidi nigredinem pulchriorem aut gratiorem viſui eâ, quâ univerſum erucæ hujus corpuſculum conſperſum eſt, non abſimilem ei, qui in porcis agreſtibus Indiæ Occidentalis conſpicitur. Contacta, tota in globulum convolvitur, tanquàm ſi pedibus ac capite careret. Transformari cœpit decimo tertio Septembris 1663. ac vigeſimo quinto Maii ſequentis anni 1664. enixa eſt papilionem uſque adeò formoſâ albedine præditum, ut parem ei mihi nuſquàm obſervare licuerit, ipſum verò corpus maculis nigris, in tres quaſi ordines, diſtinctum apparet. Metu mortis, perpetuò immotam atque mortuæ inſtar ſe continuit, atque in orbem quaquaversùm agitari, ſine ullâ luctâ aut ſenſus indicio, permiſit.

Notatu

Notatu dignum videbatur, ex erucâ nigerrimâ, nullâque albedine, præterquam in ſolo ore, præditâ, albiſſimum papilionem originem trahere.

Ex aliâ, ſed ejuſdem tamen ſpeciei ac formæ, erucâ, decimo tertio Junii anni 1664. muſca excluſa eſt, longiſſimis pedibus; ſed quæ non niſi uſque ad diem ſequentem ſuperſtes vixit.

NUM. LXXXVII.

SIcutì pleræque Erucæ originem ſuam trahunt ex quodam ſemine, ſic etiam hæc, cujus figuram exhibet tabula ad Num. 87. Calore ſolis provenit ex ſemine quod foliis populi adhærebat. Delectatur foliis populi & ſalicis, quæ ſimilis ferè ſunt naturæ ac temperamenti. Hæ Erucæ ob inſignem

ſuam

ſuam albedinem, & quia in ſummitatibus arborum morantur, è longinquo conſpiciuntur.

Hæc Eruca ad transformationem ſe accinxit ſexto Junii, inque eâ permanſit dies quatuordecim, & tunc ex eâ prodiit papilio albus, cujus effigies expreſſa eſt in tabulâ. Poſt dies aliquot ſemen ſuum ejecit, atque in vitâ permanſit dies viginti & quatuor, abſque ullo alimento.

NUM. LXXXVIII.

ERuca, in tabula ad Num. 88. delineata, veſcitur foliis ruborum & ſalicum, quæ inter modicè frigida utraque cenſentur, vi quâdam contrahendi prædita. Ut facta tranſmutatione novam formam & vivendi rationem ſibi acquireret, ad quietem tanquàm in ſepulcro

ſepulcro ſe compoſuit decimo tertio Junii uſque ad decimum quartum Julii: eoque tempore prodiit fuſci coloris papilio, cujus effigiem exhibet tabula, coloris eſt ſubflavi, in utraque ala habet maculam rotundam & albam; robuſtæ erat naturæ, quamquàm poſt duos dies eum mortuum invenerim; in progreſſu tardus erat, atque prudentis greſſum quodammodò imitari videbatur.

NUM. LXXXIX.

IN hâc Erucâ peculiarem naturam & temperiem obſervavi. Nam cùm reliquæ ferè omnes ſint humidi temperamenti, quoniàm humidis foliis aluntur, adeóque alimento & potu indigent. Hæc contrà, cujus effigiem offert tabula admodùm ſicca eſt, multóque potu

tu utitur. Cujus rei cauſa mihi videtur in alimenti ejus qualitate quærendâ, foliis nempe ſalicum, quæ ſicca ſunt & vi adſtringendi prædita.

Originem habet ex annulo exiguis ovis conſtante, ac tam tenaciter teneris arborum ramis affixo, ut vix, niſi cultello, abrumpi poſſit. Hæc ova intenſiſſimum frigus hyemis ferre poſſunt, atque illæſa ſub initium æſtatis, calore ſolis, excluduntur, ſed non priùs, quàm eædem arbores quibus annexa conſervabantur, ipſis commodum alimentum poſſint ſuppeditare, quod ſimul ac natæ ſunt Erucæ, paratum ſibi inveniunt. Hæc eruca ſe ad transformationem contulit ſecundo die Junii, inque eâ manſit uſque ad primum Julii, & tum ex eâ prodiit papilio ad Num. 89. expreſſus. Poſtquàm ova aliqua depoſuiſſet, mor-

mortuus eſt; ſed ova, quia maſculino ſemine non fuerant conſperſa, exſiccata ſunt. Diſtinctionis cauſa, & quia abundè potu utebatur, hanc Erucam *Bibacem* nominavi.

Obſerva poſituram elegantem, qua Papilio *hic ova ſua deponit, Annuli formâ ramum arboreum tenacitèr circumvolventis: Quod ad eorum Infœcunditatem, non congruit cum quibuſdam* Authoris *noſtri obſervationibus, alibi factis, ut priùs notatum.*

NUM. XC.

SIngulis erucis peculiaris ineſt natura atque induſtria. Simulàc erucæ (quarum effigiem exhibet Num. 90.) autumnale frigus appropinquare percipiunt, ſimùl congregatæ ſibi latibulum parant, eumque in finem, reticulo quodam, apices extremorum ramuſculorum cum foliis ſuis, in pyris aut ſpinetis,


91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.
101.
102.

ſpinetis, teneros adhuc ac flexibiles contrahunt, inque iis ſeſe abſcondunt & conſervant. Quamdiù aura ipſis favet & grata eſt, foramen apertum relinquunt, quo egrediantur atque intrent: at frigore vehementiùs urgente, illud adeò exactè occludunt, ut vel intenſiſſimo frigore non lædantur: & quià materia latibulorum extrinſecùs pinguis eſt, aqua non intrat, ſed levi contactu delabitur, maximum ipſis à paris periculum imminet, qui eas avidè perſequuntur iiſque veſcuntur.

Eruca hæc à cibo abſtinuit ſecundo Junii, eodemque tempore ſe ad tranſmutationem contulit, ac trigeſimo die ejuſdem menſis ex eâ erupit papilio albus, in utrâque alâ maculâ rubrâ notatus. Morantur deſcriptæ hactenus erucæ in ſuis latibulis abſque alimento, uſque ad initium

initium Aprilis; namque eo tempore calore verno alliciuntur, denuóque comedere incipiunt.

NUM. XCI.

ERuca hæc pro alimento utitur foliis ſpinarum, ceraſorum, &c. ſolet ſub umbrâ ramuſculorum latere, ne calore ſolis (quem ægrè ferre poteſt) lædatur. Priuſquàm ad tranſmutationem ſe compoſuit, cutem tèr mutavit. Ubi cutis renovata eſt, integro die quieſcit, donèc caput paulatim indureſcat; immediatè enim poſt cutis renóvationem caput reliquumque corpus ſolito debilius eſt ac mollius, ſed ſensìm confirmatur atque indureſcit. Tranſmutari cœpit duodecimo Junii, ac quarto die Julii in lucem prodiit papilio albus & formoſus. Erucæ effigiem repræſentat tibi tabula,

tabulâ, ut & papilionis qui ex ea originem traxit; nec non formæ ſive habitus externi, quo tranſmutationis tempore ſe occuluit tegmine quidem ſive involucro ſubtùs nigro, ſed ſerico quaſi flavo extrinſecùs conſperſo, ut in Num. 91. annotavi.

NUM. XCII.

OB ſingularem pulcritudinem, & colorum jucundam varietatem, hanc erucam formoſam & admirabilem nominavi. Alimentum ei ſuppeditant folia ceraſorum, pyrorum, prunorum, & amygdalarum. Semen hujus erucæ nuſquam invenire potui. In primo ſuo exortu eſt inſtar exigui Limacis humidi, glutinoſi ac fulgentis; deindè paulatìm augetur donèc cutis mutetur, eoque tempore

colores ejus apparent, at poſtea aliquotiès adhùc cutem mutat. Tranſmutari cœpit vigeſimo-ſecundo Septembris, ac duodecimo Julii ſequentis anni, in lucem prodiit papilio in Num. 92. delineatus; poſtquam integros novem menſes ac dies viginti, mortui inſtar ſine ullo motu aut vitæ indicio, in reticulo quodam convolutis foliis latuiſſet. Vita nihilominùs illa nova admodùm brevis fuit, neque ultra dies duos ſe extendit.

NUM. XCIII.

QUamquàm multi credunt, fumo labruſcæ mures & glires enecari poſſe, hâc ipſâ tamen herbâ erucæ Num. 93. nutriuntur. Sed non priùs labruſcas depaſcere expertus ſum, quàm baccæ ejus proveniunt, & tunc foliis earum veſcuntur

veſcuntur donèc baccæ rubræ jam ſunt, ac præ maturitate decidunt; eo tempore videntur folia illa inepta reddi ad nutriendas eas, ideóque defectu alimenti ſe ad quietem & tranſmutationem componunt. Hæc, cujus imaginem repræſentat tabula 93. mutari cœpit vigeſimoquarto Septembris; ſed quia jam autumnale frigus appropinquabat, & flores, quibus paſci ſolent papiliones, deficiebant, manſit in tranſmutatione ac quiete ſuâ uſquè ad decimum-tertium Junii ſequentis anni; eoque tempore erupit papilio ſubflavus in tabulâ ad Num. 93. typis expreſſus; ſed poſtquàm eum propriis viviſque coloribus depinxeram, avolabat, adeò ut exitum ejus obſervare non potuerim.

Hìc loci ratio Papilionis *per totam hyemem* non erumpentis *probè aſſignatur, ſcilicet, defectus Alimenti, & appropinquans Frigus.*

NUM. XCIV.

ERuca Num. 94. nullâ herbâ alitur præterquàm peti foliis, eaque amat, imprimis quæ majora ſunt & ſicca; exiguis autem, quæ inferiori caulis parti plerúmque annaſcuntur, aut nondùm ſatis maturis, aut humidis, non delectatur. Expurgato priùs corpore transformari cœpit tertio Auguſti, & decimo-ſeptimo die ejuſdem menſis apparuit papilio haùd parùm formoſus, qui verſari ſolet in hortis circa flores, aculeum habet prælongum quo mel ex floribus exſugit, in volatu velox eſt.

Frequens eſt hic Papilio *menſe Julii, quando* Caryophylla *maturuerint: Attamen difficilis eſt captu, propter ſubitaneam celeremque ejus fugam ſive avolationem.*

NUM.

NUM. XCV.

HOc genus erucarum quod tabulâ Num. 95. repræsentatur magnâ copiâ salices infestat; elegantis est coloris, flavi nempè nigris lineis distincti, ut ad Num. 95. videre est. Tansformari cœpit octavo die Augusti, eoque in statu mansit usque ad trigesimum Maii sequentis anni; eoque tempore apparuit papilio in eâdem tabulâ delineatus, robusti corporis, quamvis vitam ultra dies duos non prolongarit.

De hoc etiam Papilione, *vide* Animadversiones *meas.*

NUM. XCVI.

MUltas erucas experior salicum foliis delectari, inter

quas hæc eſt, cujus figuram tabulâ exhibui. Ratio hujus rei mihi videtur eſſe, quòd folia ſalicum ſint ſicci temperamenti, quo nimia erucarum humiditas moderatur ac corrigitur. Eruca hæc admodùm meticuloſa, ideóque ad ſimulationem prona. Simulàc enim attingitur, corpus ſuum arctè in orbem convolvit, immotaque manet, inſtar mortuæ, etiamſi de loco in locum toto corpore verſetur & agitetur: ſed ſi vehementiùs prematur, ſimulare ampliùs non poteſt, ſed, hypocriſin ſuam prodens, variis modis commovetur, ut effugiat. Poſtquàm ſatis comederat, exactè corpore purgato, ad transformationem ſe compoſuit decimo Septembris, & decimo Junii ſequentis anni ex eâ prodiit in lucem papilio albus, nigris maculis in alis notatus.

NUM.

NUM. XCVII.

NUtritur eruca Num. 97. foliis roſarum & gallitrici Belgis *Scharleie* dict.- Aliam formam induere cœpit vigeſimâ die Julii, eumque habitum transformationis tempore retinuit, quem in Num. 97. exhibui, eo in ſtatu morabatur uſque ad ſecundum Auguſti, quo tempore in lucem prodiit papilio varii coloris, quem melle ad tempus aliquod in vitâ conſervavi.

NUM. XCVIII.

ERucæ, quarum formam exprimit tabula Num. 98. reperiuntur circa colles arenoſos, vario alimento utuntur. Hæc, cujus figuram vides, ſe ad tranſmutationem

composuit duodecimo die Julii, inque eâ mansit usque ad quintum Septembris; tunc ex eâ apparuit papilio, quem delineatum vides ad Num. 98. tener & imbecillis fuit, quod ex eo factum arbitror, quòd nimis citò consueto suo alimento privatus fuerit, antequàm ad perfectam staturam & ætatem perveniſſet. Antè enim ostendimus, erucas quamdiù in transformationis statu morantur, nullo uti alimento; necnon, eos papiliones imperfectos & miseros plerúmque esse, qui generantur ex Erucis, quæ ante tempus naturale transmutantur.

Erucam *hanc in Montibus Arenariis supra* Caletum *deprehendi. Vid.* Notulas *meas.*

NUM.

NUM. XCIX.

HAnc erucam in tabulâ expreſſam, pilorum ratione hirſutam Num. 99. nominavi. Libentèr veſcitur lactuca & gallitrîco. Simulàc aliquid præter conſuetudinem percipit, aut levitèr contingitur, ſe in orbem, pilæ inſtar convolvit, immota ac tanquàm mortua quieſcit, erigitque pilos echini inſtar; at ſi pilos arripias, ſtatìm eos evelli permittit. Paſſeres aliæque aves has erucas non edunt, ſed ab iis abhorrere videntur, undè ipſis venenoſas eſſe nonnulli conjiciunt. Ad tranſmutationem ſe compoſuit trigeſimo Junii, ac vigeſimo-ſecundo die Julii ex eâ prodiit papilio magnus, formoſus, variiſque coloribus inſignitus. Deponunt hi papiliones ſemina ſua ante hyemem

&

& quià ſerò ex iis erucæ proveniunt, nempè circa Octobrem menſem; in terrâ, rimis murorum, aliiſque in locis ſe abſcondunt, ac ſine alimento vivunt uſque ad æſtatis initium, ut ipſe expertus ſum.

NUM. C.

Pilloſa hæc Eruca, cujus effigiem Num. 100. depictam videre eſt, Bulborum terreſtrium foliis victitat; illis enim eam diu alui, atque vivam ſuſtinui. Hanc, quod memorabile eſt, expertus ſum, quotieſcunque jam ad ſatietatem paſta fuerat, cumque ab eſu deſiſtebat, antequàm ſe quieti ſomnóve dabat, vitrum, cui eam incluſeram, aliquoties circumambulaſſe.

Ad tranſmutationem ſubeundam hæc ſeſe deponere vi. Id. Sextil. atque in eo ſitu permanere, quo expictam

expictam in Num. 100. conſpicis per decem menſes, minùs ſex diebus, nullo vitæ motuſve facto indicio. At poſtridiè Cal. Jun. conſequentis anni aureliam producere, cujus conſortem ſimilemve videre mihi contigit nunquàm. Alas hæc habebat candidas, nivis inſtar, corpuſculum colore flavum, fulvo clarius, volatu erat ocyſſima : ſed ante volaturam, diem quieſcebat unicum ; quo ſe ab immundo, quo ſcatebat, humore mundabat ; forteàn præſagiens, eum ſibi volaturæ gravem, & impedimento futurum. Incibata hæc quatriduum & quadrinoctium perduravit ; at quinto, à luce primâ, quam aſpexerat, die expiravit, præ defectu aprici & aperti aëris, quem ipſi non conceſſeram, ſiquidem vitro incluſam ſervabam (papiliones enim omnes aëre diſcupiunt liberiore frui) aut alimenti

menti inopiâ (namque omnis generis aureliæ vitam ſolent amittere, ſi hoc amittant) aut utriuſque; adeò ut veluti homines cibo, & libero aëre deſtitutos emori neceſſe eſt, ità & hanc defectu cibi & aperti aëris morti ſe dediſſe arbitrer.

Hujus autem aureliæ Matri, Erucæ dictæ *Saturambuloni* nomen poſui, ſiquidem ſatura, & à ſumpto cibo, ſemper ibat obambulatum.

NUM. CI.

HIrſutarum hoc erucarum genus, ex quo Num. unicam ad vivum expictam offert, veſcuntur libentèr foliis Heliotropii. Conſuetum ea iis etiàm ſunt alimentum: illis namque eas diu alui, vivaſque conſervavi: truculentæ admodùm, & iracundæ videntur, imò adverſus ſuarum conſortes, ſæpè inter ſe pugnant

pugnant acerrimè, & ſibi invicem pilos de tergo mordicùs auferunt, ut per aërem volitant: propterea illis τῶν προμάχων tibi licet aſſignare nomen, ſi volupe eas ab aliis ſecernere: at valdè meticuloſæ ſunt, ſi enim attinguntur, expaveſcunt ſubitò, confeſtìm ſe contrahunt, & convolvunt, ac ità immotæ manent per horæ quadrantem, ut emortuas eſſe diceres; adinſtar aliarum Erucarum, quæ ſimulátque tanguntur, leporinum ſomnum dormiunt; veluti ſomnum lepores ſimulant, quum eos venatores caneſque perſequuntur: pari modo hæ nôrunt Erucæ aſtutè fingere ſe mortuas, quùm eas manu vel bacillo tangis, & infeſtas, ne necentur, ſive ad necem vulnerentur.

Hæc autem, quæ exſculpta hìc tibi ponitur ob oculos, ad tranſmutationem ſeſe componere iii. Id.

Septemb.

Septemb. è foliis, & contextis à se telis contexta sibi domuncula, in eam, ut in sepulchrum, utì ex eo præstituto tempore resurgeret, se deponere; eâ positurâ, & formâ, quâ eam Num. 101. pictam exhibet; atque in eâ quasi inanimis, & immota manere ix. menses continuos, nec minùs, nec ampliùs: Namque iii. Id. Jun. anni posteri ex eâ in lucem prorupit papilio: interdiu hic videbatur dormire, atque segnis, ac piger; noctu agebat excubias, atque velox & agilis erat admodùm; uti alia animalcula plura, etiam volatilia, ac velut noctuæ, & vespertiliones, de die quiescunt, & de nocte volitant. Siquidèm autem, quo victitaret alimento, exploratum non habebam, &, in quem collinearam, scopum attigeram, jam gnarus unde duceret ortum, ipsum liberioris

aëris


103.
104.
105.
106.
107.
107.
108.
109.
110.
111.
112.
113.
114.
115.
116.
117.

aëris uſura donatum, propriâ ſivi quâdrâ vivere, ſobolemque ſuam propagare.

NUM. CII.

ERuca hæc ſalicum foliis benè & ſufficienti tempore nutrita, ad diuturnam quietem ſe recepit, atque in angulum quendam ſeceſſit, undè jam in aureliam mutandam conjeci, ut ſic paulatìm transfigurationis ſuæ periodum abſolveret. Verùm transformationis loco, animadverti ex utroque corpuſculi ejus latere, viridem vermem prorumpentem. Sed mirabile viſu fuit, quanto dolore, labore atque anxietate ſe eruca hæc in omnem partem, quoviſque modo converterit, corpuſque ſuum contorſerit; nunc illud in altum attollendo, nunc deorſum conjiciendo; jam illud

illud extendendo, jam contrahendo, & ſic porrò; ut prædictos enitetur vermes, eoque ſe onere liberaret.

Primus vermis ſimùl ac jam natus libero aëre frueretur, ſe vulneri, ex quo proruperat, applicuit; omnemq; ſuccum ac ſubſtantiam matris exſuxit, adeò ut præter cutem nihil eſſet reliquum: & vermis alter, prioris aviditate, omni jam alimento deſtitutus, in ipſo ortus ſui vulnere extingueretur: Cujus itidèm corpuſculum ab altero, matre antè evacuatâ, ſimiliter totum extractum & conſumptum vidi.

Hic autem vermis jam matris fratriſque gemelli corpuſculis ſatìs benè paſtus, quievit planè immotus ac ſine alio alimento, uſque ad decimum quintum Octobris 1664. eoque tempore in ovum nigrum totus transformatus eſt; atque ex

eo

eo ovo decimo-octavo Maii anni ſubſequentis 1665. duæ muſcæ prodierunt, qualem unam appoſitâ tabulâ exhibui. In quâ Hiſtoriâ notatu dignum mihi videtur, ex uno ovo duas proveniſſe muſcas, ut hoc pacto reſtauraretur damnum duorum vermium, qui (ut dixi) in ſubſtantiam unius quaſi ſimul coaluerant.

Fuit de omnibus Papilionum Hiſtoriis, *quas in induſtriis* Johannis Goedartii *Monumentis comperi; Poſtremæ hujus* Hiſtoriæ *veritatem in dubium non vocarem, nec de* Traductoris *fide conquererer, cùm* Meyus *ubicunque æquè modeſtus audierit, ac alter audax frivoluſque. Volens ſum fateri, unicum hoc* Authoris *noſtri* Experimentum *crucem mihi fixiſſe; attamen fortaſſis, bini* Vermes Ichneumones *pro communi* Folliculo *mutua ſymbola conferre poſſint, quem* Nigrum ovum *appellitat; pari ratione ac* quini, *ut in* Hiſtoriâ *viceſimâ priùs notatur. Hæc tamen eſt mera mei ſolius conjectura, cui (ut verum loquar)* Hiſtoria *non favet; ea enim narrat unicum modò vermem ſuperſtitem fuiſſe,*

quando mutatio ejus in nigrum hoc ovum peragereturr.

Pari etiam pacto videre eſt, Papilionum *genus, duas ferè Libri partes, in ternas diviſi, abſolvere ; quod non* Authoris *delectu fiebat, ſed caſu ; ſicut patebit cuipiam perpendenti, hoc* Inſectorum *genus maximâ ex parte deponi, excludi, & alimentum ſumere in propatulo, obviámque viſui noſtro, ſuper herbas arboreſque : Cùm nidulatus, educatio, atque alimentum* Inſectorum *alienigênum plerorúmque, dum adhuc in* Embrionatu *ſuo & Larvationibus diverſis perſiſtant, vel in cœcis ſecretiſque Rupium angulis, vel intra Arborum Truncos, intra Plantarum Caules, vel Receſſibus ſubterraneis, aut demùm Lacuum & Fluminum fundo peragerentur: adeò ut, niſi diligentiori ſcrutinio facto, non ſunt facilè inveſtigabiles.*

SECT.

SECT. IV.

De Papilionibus, *alis* Diaphanis *inſtructis*, Anglicè *ſub nomine* Dragon-Flies *venientibus.*

DAtur & aliud Inſectorum *genus apud* Antiquos *Anonymon*; Moderniores, Libellas, Perlas, *&c. vocitarunt.* Inſecta *hæc inter* Papiliones *recenſeo, propter aliqualem ſaltem inter illos cognationem, ideóque proximè illis locum obtinent. Habent univerſim quatuor alas, rigentes, fragiles, & tranſlucidas: Genii ſunt ferocioris,* muſcas *deprædantur, quas volando captant, ſicut* accipitres aviculas,: *Quidam forſan exiſtiment, illos magis commodè poſt* Scarabæos *tractari debere, eò quòd utrorúmque* Vermes *ſint* Hexapodes: *Methodus noſtra cum utriſque conſentiet, ſat eſt, illos non confundi, cùm ſint peculiaris* Inſectorum Tribus *proprii ſui generis.*

NUM. CIII.

ANimalcula hæc, ubi primùm in lucem ſe produnt, exigua ſunt, quantitatem pulicum non excedunt, ſed poſteà non parùm augentur: reperiri ſolent in foſſis, nulloque alio alimento veſcuntur, quàm quòd majora minoribus pro eſca utantur. Exiguo temporis ſpatio vidi unam ex tribus majoribus in appoſitâ tabulâ depictis, ſex minora ejuſdem ſpeciei deglutiiſſe, inque ſuam convertiſſe ſubſtantiam. Hinc fit, ut animalcula hæc præter modum timida ac meticuloſa evaſerint: aliquo enim ex majoribus conſpecto aut obviàm ipſis facto, magno impetu reſiliunt, fugamque capeſſunt, ſed fruſtrà.

Nil ampliùs invenio inter Authoris *Chartas, niſi quòd ex vermium* Hexapodum *uno, in*

in Tabulâ effigiato, Inſectum *alatum coloris cærulei, in* Iconiſmo *etiam depictum, produceretur; ſed de modo Transformationis, ne* Gry *quidem apud eum reperi.*

NUM. CIV.

INſolitum viſu hoc animalculum admodùm lentigradum eſt: ubi id vexas, & ad iram extimulas, ſe valdè iracundum, & ſuccenſum præbet; inſupèr audax & imperterritum (quapropter illud τολμηεὸν, *audax,* aut *intrepidum* vocitare viſum fuit) namque ſtationem ſuam ſervare audax, non niſi ipſum magnoperè infeſtes, de loco proſerpit: in poſteriori corporis ſui parte limoſam geſtat pinnam quâ ſe defendit, ac protegit, & eam ubicunque deponit, iſtius beneficio ſe terræ ità agglutinat, & affigit, ut non cedat retrò: tum corpuſculum omne contrahit, & anteriori ipſius

parte & cornutis, ſeu dentatis, quibus eſt armatum, forcipibus ſe adverſus illatam ſibi vim gnavitèr tuetur. Quò ſcirem, quodnam huic animalculo peculiare foret alimentum, non levem adhibui diligentiam, atque ut vivum conſervarem, panem, farinam, ſaccharum, variaſque herbas, ut & aquam, ipſi appoſui; ſed nihil horum avebat deguſtare, aſt faſtidiebat omnia. Poſtmodùm verò in mentem veniente mihi, inſecta multa formicis, ſcaraboeis, aliiſque demortuis victitare animalculis, illa ipſi comedenda viſum eſt apponere, atque inter alia ſcarabæum, adhuc tenerum, & capſulæ eburneæ incluſum; experientiâ enim doctus eram, multa id genus animalcula lignea, ligneaſq; capſulas perforare.

In hâc ſe mirum in modum oblectare, ſcarabæum omnem intùs exedere,

exedere, in exeſum irrepere, cadaver & parti ejus poſteriori nendo attexere ſibi domunculam, exiguæ adinſtar cameræ, ad latus utrumque adeò amplum, ut in eâ ſe commodè poſſet quaquaversùm flectere: atque in hâc permanſit à xii. Cal. Septemb. uſque ad diem v. Id. Jun. ſubſequentis anni: quo ex eo prodibat aliud animalculum alis inſtructum, & viſu pulchrum atque jucundum: alæ autem erant admodùm inſignes, aſt ità teneræ, ut penicillo non delineandæ eſſent, & fulgidæ concharum inſtar, in quibus margaritæ, ſeu uniones naſcuntur; in capite micabant ocelli duo aurei; corpuſculum colore erat hyalino. Erecto ſurſùm capite, demiſſo ac deorsùm pendente corpuſculo reliquo, expanſis quidem alis, ſed non agitatis, ſiquidèm majores erant, quàm ut eas vibrare

poſſet, vento per aërem ferebatur ſecundo, nec ultra biduum vitam extendebat jejuna; me latebat enim quo victitaret.

In Sectione *Quintâ*, genus Apianum *ponimus*, *quod* (*ut priora univerſim* Inſecta) *quatuor nudis* alis *inſtruitur*.

SECT.

SECT. V.

De Apibus.

NUM. CV.

APum majorum ſpecies *fuci*, & *Crabrones* dicti Latinis, & Græcis Βομβύλιοι, quorum unum Num. 105. ad vivum expreſſum, & ob oculos poſitum videre datur, altam, & ſiccam ſibi terram eligunt ut plurimùm pro domicilio, quæ nec nimiùm argillacea (ſiquidem iſta nimis dura & tenax foret effodiendis ſub ipſâ cubilibus) nec nimiùm levis, & arenoſa eſt, quoniàm illa, excavata, facile intùs illaberetur. Altiorem etiam agrum amant,

amant, ut eo minùs ipſos infeſtaret aqua. Ejuſmodi ſub terrâ latebras ſibi fodiunt, profundas, tres & quandoque tres ac dimidiatum, pedes, & quadratum pedem latas, atque amplas: in eas aliquantulum graminis, ſed tenuioris, & ſiccioris inferunt, illudque cerâ veſtiunt; non ſecùs atque hirundines ſuos luto nidos amiciunt: verùm hi fuci efformant ſua domicilia pellucida, & foraminibus plena, illiſque ſuperinducunt affabrè tegumenta porrecta, & è cerâ contexta ut à pluviâ per terram deſcendenti, & terrâ fortè delapſurâ tuti ſint. In hoc nido ex cerâ thecam exiguam ſibi conficiunt, formâ referentem ovum dimidiatum, & magnitudine ervum, medium diviſum, ſeu diſſectum: in teſtam hanc ſeu thecam quiſque Bombylius excretos novem deponunt vermiculos, quorum

rum ſinguli magnitudine granum ſeminis Naſturtii non ſuperant, ſed albicant lactis adinſtar, & pellucent. Deindè teſtulam hanc claudunt ut oviformis ſit: moderatè etiam ad ſenſum hæc calida eſt, uti ovum cui gallina incubat. Huic teſtæ ſæpiùs ſuperſerpere vidi Bombylios minores, non ſecùs ac ſi ovum à frigore immune, & calidum ſervare ſuiſſet iis animus; atque illud ità excludere; poſteà verò conſpexi eoſdem ovum iſtud ſcabere & ſcalpere, non alitèr ac ſi voluiſſent in eo rimam ſive aperturam facere, ſed ſcabendo ceram reddebant molliorem. Vermiculi, teſtæ huic oviformi incluſi, indiès etiam fiebant majores; nec ceſſabant interìm Bombylii minores omnem excludendo ovo dare operam, non etenim requieſcebant, donec diſruptum eſſet. Rumpendo

illi

illi etiam vermiculi intùs abditi ſuam commodabant operam, agitantes & commoventes ſe continuò: creſcentibus enim illis creſcebat & calor, qui & ceram indiès reddebat molliorem. Ovo autem hoc excluſi vermes per integrum quieti jacebant diem: accedens deinde major ſive ſenex Bombylius ceram, ex quâ conſtructum fuerat ovum,& cui vermes involuti erant, omnem deglutiebat, adeò ut ea cera in ejus corpore liquefacta alteri ovo ſubminiſtraret materiam. Ubi jam recèns excluſi vermiculi totum jacuêre diem omnis omninò motus expertes, & veluti exanimes, è ſquallidâ ex ore & corpore ſtillante pituitâ,ſinguli ſingulà contexunt ova quæ granum baccæ laureæ magnitudine æquant, & recèns neta, humida quidem, atque mollia ſunt, ſed lapſu temporis, aëris

aëris calidi beneficio paulatìm magis magiſque ſicca, & dura redduntur. Hæc ova hi vermes ſingula ſingulis ovis agglutinant; & ſingulis ex ovis ſinguli Bombylii, ſive apes prodeunt, eâ formâ, quâ unicam in tabulâ exculptam, & ad vivum expictam dedimus, ſed ab unâ parte diſſectam, utì monſtraremus, qui vermis in apem verſus fuerit. Hoc facto, Bombylius, ſive major Apis, accedens denuò ovum conficit, illique partu editos imponit quinque vermiculos: deindè & alter facit paria, poſteà & alius idem agit, atque alii deinceps conſequuntur, factitantes idem, uſquè donec numeris omnibus abſolutum opus, & in formam & figuram racemi ſit redactum. Verùm autèm, anne unus idemque ſit Bombylius, qui opus hoc perficiat, & in omnes teſtas ſive theculas

las vermes deponat, anne verò diverſi, & an multi huic allaborent operi thecas implendo, novas novis vermibus, necdùm nobis certò conſtat; veroſimile tamen eſſe judicamus, unum eundemquè Bombylium opus hoc integrum exigere, atque ad umbilicum perducere, & racemo huic coronidem, omneſque vermiculos omnibus teſtis ſive ovis imponere: hiſce enim oculis nobis viſus eſt unus, qui ſolus vermiculos xxxiii. numero excrêrat, & in teſtas depoſuerat.

Iſtud etiam obſervatu non indignum eſt, unumquodque inſectorum horum in conficiendo unoquoque ovo, antequàm penitùs perfectum eſt, occupari ſedulò, per continuum xxviii. horarum ſpatium, ferè ſemper: quædam tamen opuſculum hoc paulò citiùs, quædam paulò tardius quandóque confectum

confectum dare ſolent : adeò ut in eo hæc animantia hominibus ſimilia eſſe videantur, quorum alii pedibus, ac manibus, & in opere ac officio faciendo celeriores aliis, alii verò tardiores ſunt.

Vermiculus autem ille, de quo verba primùm fecimus, ad ſubeundam ſe componebat metamorphôſin iii. die Idus Quintil. atque in eo ſtatu permanebat immutatus, & inconverſus, ad xiii. Calend. Septemb. quo die in lucem edebat apiculam illius formæ & magnitudinis, quâ eam in tabulâ delineatam dedimus.

Quùm autem hi vermiculi cereas mordendo teſtas aperuerunt, illiſque prorepſerunt recèns editi, anterioribus pedibus fricare ſolent oculos, non ſecùs ac ſi cæci forent, ut canibus feſtinantibus cæci ſunt parti catuli; fortaſſis etiam cæci nati ſunt, clauſos enim oculos fricationis

cationis beneficio aperire videntur, ſomnum ſaltem iis excutere aut defricare diceres. Tunc in anteriori corpore albicant, ſubflaveſcunt etiam, atque nigricant: alas, non expanſas, ſed tergo incumbentes habent: eæ quoque ſunt humidæ, ſed confeſtim ab aëris calore ſiccеſcunt, ut eas expandant & extendant, ſpatiolo dimidii quadrantis horæ. Apiculæ hæ recèns excluſæ necdùm faciendo operi ſunt aptæ; attamen impensè gaudent è latebris aſcendere in apricum aërem: ſed apibus ſeu Bombyliis majoribus operi intentis impedimento ſunt, qui eas idcircò quotieſcunque aſcendêre ſuperiùs, in inferiora ſolent loca abigere: ultrò etiam citróque meant, & diſcurrunt, non ſecùs ac ſi forent ebriæ; aſt ubi tres jam dies excluſæ ſunt, tum demum ſunt terram ad nidos apportando,

tando, quos majores arcuatim fornicant, beneficio aggeſtæ terræ, cui excavatæ porrecta & extenſa, atque è cerâ confecta ſuperinducunt tegumenta. Uti fabrorum cæmentariorum miniſtri, ſeu adjutantes ſervi calcem, gypſumque ſubactum, & arenæ immixtum atque lapides fabris ſubminiſtrant, quibus illi parietes murósve fabricant, & incruſtant: pari quoque ratione, ſi magna licet componere parvis, apiculæ minores majoribus Bombyliis terram conſtruendis nidis apportare ſolent; aſt non prorsùm, ſed retrorsùm & receſsim pedibus verrentes terram, ut gallinæ ſterquilinium. Verùm autem, quæ primùm prodiérunt, apiculæ, & grandiores cæteris fabrorum murariorum defunguntur muniis: ceram enim conficiunt, cuniculos agunt, fornices concamerant; quos

minores aggeſtâ terrâ conſtipant. Illæ autem ceram comedunt, comeſtam in ventriculo liquefaciunt, ſiquidem eo ſunt calidiore, liquefactam excernunt ſtillatim, atque ex hâc, & terrâ mixtâ, adinſtar hirundinum nidos extruunt, operaſque ſuas peragunt, complicatis pedibus anterioribus; hæ verò illis in apportandâ & ſtipandâ terrâ adjumento ſunt.

Vulgus hoc ſuum etiam, ut nobiles Apes, Regem Ducemve habent, quo reguntur. Hic autem Bombylius eſt, ſenex admodùm, & corpore toto major cæteris, uti apicularum Rex corporis magnitudine, & ſpecie præcellit reliquis: ſed hic alis deſtituitur, & pilis: ubi cæteri albis, flavis, atque nigris colore pilis ſcatent, & hirſuti ſunt; calvus hic eſt prorsùs adinſtar deplumium ac nudarum aviuni, aut veluti

veluti occipites capillitio deſtituta pingitur *Occaſio:* niger etiam eſt; & fulgidus inſuper, ut ebenum politum. Quandoque operas, quibus vulgus occupatur, ſpectatum venit, & exploratum, anne eas juſtæ menſuræ tum latitudinis, tum altitudinis convenienter conficiat; nidum irrependo, & prorependo, aſcendendo, & deſcendendo menſurare videtur; uti Architecti exactam operis, quod fabri fabricantur, rationem habere ſolent. Minores Apes, ubi huic ſeni fiunt obviæ, non exiguum ei, utpote Regi, honorem exhibent; circumquáque ipſum circumcurrunt, binæ vel ternæ aliquot ipſum vicibus demulcent, expanſis interea ludentes alis, ipſumque anterioribus amplectentes pedibus, ut ulnis: veluti nos eum, cui gratulamur adventum. Exemplo igitur nobis apes hæ ſunt

ſenibus tribuendi honoris. Ubi verò Dux hic Bombylius explorârit, an opus ad normam reſpondeat, deſcendit in latibulum, & opus juniorum quiſque ſuum denuò aggreditur. Matutino tempore hi tardi ad opus veniunt, & niſi eos exiguæ illæ beſtiolæ, quæ quotidiè manè ipſis ſurrepunt & obrepunt, excitarent, tardiores venirent. Alium etiam inter ſe habent Bombylium, qui, veluti Tympaniſta, milites gregarios ad excubias, aut ad movenda caſtra, aut ad progrediendum, aut ad dimicandum accendit tympani ſtrepitu, ità & ipſos ad operandum excitat. Hic circa horam vii. matutinam in operis extruendi faſtigium aſcendit, atque dimidiato corpore eminens ex foramine alas vibrat, & agitat illarumque beneficio ſtrepentem ciet ſonitum in latibulo concavo, tympa-

ni

ni ſtrepitui non abſimilem, qui ferè per quadrantis horæ exauditur ſpatium continuum. Expertus, & auritus teſtis hæc commemoro, imò & oculatus ; & juxtà mecum illius tympaniſtæ Bombyliorum vibratas, & ſtrepentes alas non ſemel audivêre, & vidêre multi, me, hujus audiendi ſonitus ergô inviſentes rerum naturalium ſtudioſi.

Prætereà & his eſt, qui interdiù agit excubias. Quùm enim aliquandò nidum pulſabam, confeſtìm hic è latibulo aſcendebat ut perculſus & attonitus, & circumquáque diſcurrebat, tanquàm exploraturus quid rei gereretur extùs ; at nihil periculi ſubodoratus extemplò deſcendebat denuò. Non ſemèl id vidi admirabundus. Quandoque etiam cicurem apiculam nido ſuperimpoſui ; ſed hoc animadverſo ſtatìm hic foràs ſe proripere,

& apiculam arripere, velut infenſus & iratus, nec eam, niſi neci datam, relinquere.

Inſuper hoſce Bombylios cellulas, ex quibus egreſſæ erant apes ipſorum conſortes, cerâ circumveſtire, melle replere, & erectas conſtituere, atque cerâ obſignare comperi, ne fures, eas ingreſſi, abſumant mellificia, namque hos inter invenire eſt raptores, ignavi ac pigri Bombylii: imò vidimus, qui, reliquis foras in agros mellis colligendi gratiâ ſe conferentibus, unà ſe evolare ſimulabant, verùm è camerâ, in quâ eos continebam, non exîbant, ſed duntaxàt fusìm aliquoties in orbem volabant, & eo facto revertebantur in alterutram lagenarum vitrearum (duas enim in camerâ collocâram, in quibus ſua extruxerant alvearia) & quiſq; in eam, ex quâ fuerat egreſſus;

quùm

quùm cæteri in campos & agros evolârant; & poſteà domum redibant, quidam melle, alii cerâ, & nonnulli aquâ onuſti; hi fuci in alvearia revertebantur vacui, & inſupèr favos devorabant, ab aliis formatos, & mel in hyemem collectum. Ignavum iſtud pecus hi ſunt, quod mellificationi operam non navat, ſed congeſta à ſociis alimenta conſumit, de quo multa Veteres; cui comparant pigros, & deſidiâ horridos homines, qui falcem in meſſem injiciunt, cujus ipſi ſementem non fecerunt, & alienis vivunt laboribus.

Requires forſitan, quis fuerit exitus ſenis hujus Bombylii, quem examinis Regem Ducemve arbitrabar? Hunc vidi jam morti proximum manè ſummo, antequàm Tympaniſta Bombylius alas ſuas, ut ſolebat, vibraret, illiſque ſonitum

excitaret, è domicilio prorepentem, ſed totum horrentem & trementem corpore, atque nitubantem ac vacillantem, ad extremam agri ſui oram progreſſum in convallem. Hùc provectus decumbebat, quaſi laſſus, & tandem ſuavitèr expirabat, abſque pedum convulſione aliquâ. Neque id mirum mihi videbatur; namque ipſi jamdudum pedes præ ſenio obtorpuerant.

Rege hoc mortuo indiès decreſcebat aliorum Bombyliorum numerus; tandem è favis ſubrepentem vidi Bombylium, cui avulſum ab humeris caput erat,

-----*Et ſine nomine corpus*;

truncumq; hunc palpitantem conſpexi, vivumque jacentem per biduum, & deindè expirantem. Hinc conjicere

conjicere mihi proclive erat, intùs turbata eſſe, & inordinatè ac malè geri omnia, atque Bombylios pro libitu quæ volebant agere, & pugnare acritèr, Rege demortuo: namque ab eo tempore non ampliùs pulſabat manè tympaniſta tympanum, uti ſolebat, vivente Rege. Admiratione quoque dignum eſt circa ortum horum Bombyliorum, ex unicâ hujus generis ape vetulâ, ubi ſe ad propagandam ſpeciem componit, quandoque cxx. provenire vermiculos, aliquando tamen pauciores, & interdùm plures: verùm tot numero aliquandò partu ſimul edidiſſe unicam teſtes mecum ſunt oculati non pauci rerum naturalium Studioſi, qui demirabantur Apicularum harum unicam adeò feracem, ut integram poſſet Bombyliorum Remp. & integrum examen conſtituere.

SECT.

SECT. VI.

De Scarabæis.

NUM. CVI.

VArios invenire eſt vermes medios inter cortices, & ligna arborum; jam unicum exhibebo, ac deſcribam, quem in noſtrâ *Zelandiâ* Veteri, ejuſque inſulâ *Walachriâ* offendi medium inter quercûs lignum, & librum.

Siquidem ſuſpicabar in quercu latere nonnihil, quod memoratu dignum foret aliquandò corticem vi abruptum ibam; atque in eo terebrantem tunc offendebam vermem hunc, quem idcircò Δρυοτρυπὴν nun-

nuncupabam. Nôrat hic organi peculiaris beneficio, tanquàm terebrâ, lignum licet durum, & vix pervium cultro, perforare, quanquàm mollis erat. Hoc autem vermium genus ore ſuo, ex quo acutum aliquod, & duriuſculum prominet organum, pro terebrâ utuntur; non exiguâ etiam pollent vi, poſterius corpus caput verſus protrahendi; podicem inſupèr excrementis affigunt firmitèr; atque ità medii conſident inter lignum & excrementa, preſſi velùt in torcularì, adeò ut ore vim facere, & terebrare poſſint: atque hâc poſiturâ quercum perforant, & victitant adipe, & adipoſâ materie, quam exterebrant: ad ſatietatem paſti, rectà ſe extendunt; ubi ventriculus officium fecit ſuum, alvum exonerant; & ſimul corpus paulatìm magis magíſque contrahunt, & adducunt,

ducunt, quam poſſunt maximè, adeò ut ſemper excretum è podice excrementum, corpori quamproximè adjaceat apprehenſum: atque ità compreſſi, more ſuo in lignum vim faciunt.

Tranſmutationi ſe dabat hic v. Cal. Novembr. in quercùs libro à me conſtitutus, cui ipſum inſidentem repereram, unà cum multis aliis, exiguis, vitæ tamen indicio facto, namque ſe motitare conſpiciebam: Anno ſubſequenti ipſis Id. Januar. produxit animalculum inſolens, colore canum, nigris variegatum maculis; ſed forte, & inſuper atrox atque fremebundum: armata frons erat cornibus, quæ retrotrahebat, ubi ſe iratum, & antrorsùm extendebat, ubi ſe placidum inungebat: ligneæ capſulæ ſe includi non patiebatur, ſemper enim, & citò quidem lignum permordebat

mordebat penitùs, atque ità ſibi faciebat erumpendi lucem; ſicque oſtendebat, ex quo foret oriundum genere: ſiquidèm explorare non poteram, quonam viveret alimento, vivum ſervare in manu non erat meâ; capſulas ubi meas corruperat, quibus incluſeram, inediâ perire ſivi. Atque hic vermi huic, ejuſque ſoboli erat vitæ exitus.

NUM. CVII. *a.*

DUo Vermes in Num. 107. *a.* delineati, hoſtes ſunt erucarum acerrimi; anterior corporis pars ungulas duas habet apertas, quæ forcipis in modum conjunguntur & clauduntur, annuli figurâ. His ungulis erucarum ventres perfodiunt, iiſque appendent. Erucæ vulnerum dolorem ſentientes, corpus undiquaque movent agitantque

tantque ut ſe expediant liberentque; vermis interim, mortui inſtar, extentóque corpore, ſine motu quieſcit. Quoque magis ſe eruca movet convolvitque, eo magis læditur, venterque diſrumpitur; poſtquàm eam dimittit vermis, vulnus illicò intumeſcit, quod indicare videtur vulnus veneno quaſi infectum fuiſſe. Vermis hic à naturâ benè armatus, flavus eſt ac ſplendidi coloris, ab erucis haud facilè lædi poteſt. Supra terram, ultra dies duos vitam protrahere nequit. Unum ex deſcriptis vermibus jam ferè exanimem mortuumque terræ impoſui, qui ſtatim, refocillato ſpiritu, eam terebrando penetravit. Hyberno tempore, ſupernè terrâ paululùm regelatâ, intùs autem glacie ultra duorum pedum altitudinem adhuc conſtrictâ, fodiendo inveni unum ex his vermibus, (frigus enim

enim facilè ferunt) unà cum apè quâdam, quam juxta vermem posui, ut obſervarem quomodò inter eos conveniret. Vermis ſtatìm aggreſſus eſt apem, caputque ejus forcipe antè deſcripto arripuit, tamque diu exagitavit, donec laſſa & præter modum fatigata apis effugere conaretur, ſed præ frigore alarum uſu deſtituta, non potuit. Simile certamen etiam poſteà vidi inter apem & erucam, quam eodem tempore ex terrâ effoderam. Vermes duo in Num. 107. *a.* expreſſi, ejuſdem planè ſunt naturæ, atque igni injecti, inſtar olei conflagrant. Ob peculiare erga erucas odium, eos erucarum hoſtes appellavi.

NUM.

NUM. CVII. *b.*

VErmis ille, Erucarum hoſtis, ſeu καμπηχόρος, appellatus, ubi decumbens ſe ad ſubeundam tranſformationem depoſuerat poſtridiè Cal. Junias, in eo permanſit ſitu, uſque ad viii. Cal. Octob. quo eum tabella exhibet delineatum; ſed dicto die, tabellæ inſculptum partu edidit animalculum, matrici ſuæ quàm ſimillimum; Nam, ut loquar diverbiis, *lac lacti, ovum ovo, aqua aquæ, apis api non magis eſt ſimilis*, quam animalculum iſthoc vermi, ex quo prorupit: uti *mali corvi malum ovum eſt*; ità quoque peſſimi vermis hæc peſſima progenies: ſicuti vermis ille duas habet ungulas apertas, forcipiformes, quas erucarum ventribus immiſſas claudit, ad modum, & figuram annuli, qui-

quibuſque miſeras erucas ſolet enecare: ità etiam hocce animalculum duabus armatum prodiit ungulis, admodùm pernicioſis, illis enim formicarum, & Gryllotalparum ova, ubicunque ea invenit, tranſadigit, & rumpit: æquè etiam ac ipſius matrix, malignum & malitioſum eſt: acerrimè quoque cum ſui ſimilibus dimicare ſolet, præcipuè ubi ipſum infeſtat triduana fames; tunc etenim geminis ferociſſimè pugnat ungulis, ſeu proboſcidibus; atquè ſe tuetur ſtrenuè, ad exemplum vermis, cui debet originem, quique ipſi hanc malitiam ingenuit.

Non ſecùs, ac Chamæleon, animalculum hocce ſubinde colorem mutat, utì *malæ lanæ*, quod Belgis eſt in Proverbio, *colorem vertunt*: primo enim poſt exortum anno coloris eſt ſubobſcurè viridis, &

fulgidi in anteriori corpore, paulò magìs viridis in capite, & in poſteriori corpore coloris ſubpurpurei; hoſque colores retinet continuò ad annum ſecundum; iſto enim picis adinſtar fit atrum, atque inſuper malignum, uti *lupus pilum mutat non mentem*, ut fert adagium; ità & hoc animalculum colores non ingenium mutat; ætas enim ipſi, ut improbis, non aufert ſed adfert malitiam.

Altero enim anno non erucis duntaxat, ſed & cæteris inſectis admodùm infenſa, & infeſta ſunt; cumque iis ad necem uſque dimicant acerrimè; imprimìs, quùm biduum jejuna reliqueris. Ubi iis formicarum, aut Gryllotalparum ova objicis, illicò ea roſtro perforata exugunt, veluti Sciuri gallinarum ova avidè exorbent, eo nomine ὠαφόφαγος ſeu ὠοφόφις, *ovorum exorptores*

tores noſtratibus nuncupati. Uti hoc animalculum inſectis omnibus inimicum eſt, eaque devorare molitur; ità quoque ſibi hoſtes habet, & quidem infeſtiſſimos, Gryllotalpas nimirùm; hi enim circumquáque juxta nidos illorum animalculorum tectos agunt cuniculos, in quibus inſidiantur, & obſervant, quæ devorent; Sicuti hæc Erucas ſolent perimere, ità hiſce redditur, quod reddiderunt aliis; imò, uti hæc Gryllotalpas excepêre, necdùm excluſos, & in ovis latitantes adhùc, ſic etiam hæc Gryllotalpæ adulti, his etenim illi prævalent.

Vermes hi jam alterum ætatis annum agunt, ubi mutationem faciunt; neque mutant leberidem, niſi quùm ſe in aliam formam vertunt: tunc autem anguium inſtar, cutem exuunt, & exalbeſcunt; atque etiam ad utrumque latus ala-

rum initium prominere tum conſpicitur, verùm caput & pedes membranulâ quâdam ceu cuticulâ obtecti, quæ paulatìm unà cum pedibus excreſcit, atque tandèm decidit. Hæc autem membranula ſolùm ipſis data videtur, ad membrorum ſuorum, ubi in ſtatu tranſfigurationis ſunt, conſervationem. Ubi verò jam plenè tranſmutati ſunt hi vermes, veluti inanimes, imò omnis omninò motus expertes jacent affixi glebulæ, quam ipſimet excrevêrunt; adeò ut nullum in ipſis vitæ veſtigium appareat. Hunc vermem, ab aliis deſtinguendi ergò γρυλλοφαγον, ſeu *Grylloviîvorum* vocitavi.

NUM. CVIII.

ORtus eſt vermiculus in tabulâ ſub Num. 108. repræſentatus,

tus, ex corruptâ radice quâdam dulci, quem ob insignem dulcedinem Belgæ Zacchari radicem *Suycker-Wortel*, Latini cum Græcis Sisarum appellant. In eodem illo sisaro ex quo natus fuit, se ad transmutationem composuit nono Augusti, & vigesimo quinto die ejusdem mensis, indè in lucem prodiit nigra bestiola, cujus formam exhibet tabula sive Num. 108. Pars corporis posterior ab anteriori protrahitur, tardi est processus, sicutì & vermis ex quo ortus est. Quùm hæc bestiola primùm se visui offerret, obducta erat calore flavo, sed debili & quasi subpallido, anterior pars rubebat; sed posteà exactè flava evasit, deindè succinei coloris, ac tandèm elegantèr nigra. In vitâ eam aliquot dies conservavi succis dulcibus.

NUM. CIX.

TEredinis hæc ſpecies reperiri ſolet dùm adhùc puſilla eſt, inter cortices & lignum quercinum, aut etiam in ipſis corticibus, ibíque ex ſemine procreatur. Sed jam majores vires nacta, integras arbores, acutiſſimo ſuo oſculo transfodit, iiſque magnum damnum infert. Mirum videtur aut ſaltem obſervatu dignum, vermem adeò mollem, tenerum, atque exilem, tam ingentes duriſſimaſque arbores penetrare. Terendo autem ſeu arbores pertundendo, earum pinguedinem ſeu terebinthum, omnemque oleaginoſum ſuccum perſequitur, quo nutritur. Neceſſe eſt oris particulas anteriores non modò duriuſculas, verùm inſuper acutas admodùm ac ſubtiles eſſe, quibus

quibus ad intimas arborum partes penetrare poſſint, earumque ſubſtantiam ligneam, licèt duriſſimam, in tenuiſſimum pulverem comminuere; quod in omni teredinum ſpecie paſsìm obſervari ſolet.

Ad tranformationem ſe compoſuit decimo Novembris 1663. & ſexto Aprilis anni ſubſequentis 1664. animalculum hoc rubrum ſe obtulit viſui noſtro, in appoſitâ tabulâ delineatum. Saccharo illud in vitâ conſervavi uſque ad quintum menſis Maii.

NUM. CX.

VErmis Num. 110. navi quâdam, ex Americæ regione quæ *Iſiekepe* nominatur, Zelandorum provincia, in has terras advectus fuit. Inveni eum in corticibus ligni ex quo ciſtæ confici ſolent,

quibus Saccharum ex Indiâ huc tranſportari ſolet; ex iis corticibus & originem habet, & nutrimentum quærit. Transformationem ſubire cœpit decimo ſeptimo Septembris, inque eâ manſit uſque ad decimum-nonum Octobris, eoque tempore pellem mutavit, & cum pelle paulatim formam, colores, membra, reliquaque omnia: modum transformationis, ut eum viſu obſervare licuit, in tabulâ propoſui; ac tandem abſolutâ transformatione inſectum prodiit in his regionibus nunquàm fortè viſum, mirabilis ſtructuræ, ac formæ, priori quam habuit, diſſimillimæ, quam tabulâ ſpectandam exactè propoſui; appellavi inſectum hoc ob convenientiam originis ex verme, & formæ aliquam ſimilitudinem, bruchum ſive melolonthan Americanam.

NUM.

NUM. CXI.

VErmis tabulæ Num. 111. ab hortulanis & ruſticis, appellatur Belgico idiomate *Koren-worm*, id eſt, frumenti vermis, quia tritico multùm nocet, radices ejus conſumendo: reperitur etiam paſsim in hortis & pomariis. Aliqui eum nominant *Rob-worm*, ſed immeritò, is enim fuſci coloris eſt & pedibus caret, ſed hic vermis pedes habet & albus eſt.

Cepi hunc vermem vigeſimâ ſecundâ die Auguſti anni 1659. atque annum integrum conſervavi in lagenâ vitreâ cum terrâ fundo impoſitâ, cui injeci ſemen morſus-gallinæ cum flore albo, (eſt enim & alia herba ejuſdem nominis, quæ rubros flores profert) atque obſervavi tempore veſpertino vermem

ex

ex lagenæ fundo ſolitum fuiſſe ſurſùm prodire, ut herbâ & flore antè deſcripto veſceretur. Hoc peracto, denuò intra terram ſe abdidit, nunquàm enim aut rariſſime de die ſupra terram apparet.

Poſtquàm vermes hujus deſcriptionis ſatis comederunt, & ad juſtam corporis magnitudinem ac ſtaturam pervenerunt, loca quærunt excelſa, ſicca, & quieta, in pomariis, agris, aliiſque in locis, ut tutò quieſcere poſſint, atque ad tranſformationem, quàm expectant, ſe placidè componunt. Originem habent ex ſemine iſtius bruchi generis, quod ſcriptura videtur melolontham appellare, Joël 2. 25. & cap. 1. 4. Zelandi *Molenaers* ſive molitores vocant, quia apices foliorum ceraſorum, populorum, perſicarum, ſalicum, corylorum, aliarumque arborum (quibus veſcuntur)

tur) ita comminuunt ac in minimas particulas confringunt, ut ea moluiſſe quodammodò videantur; Galli eos *Hanatons* appellant.

Hoc bruchorum genus in Belgio reperitur paſsim in arborum ſummitatibus tempore verno, & menſe Maio, tunc enim eorum nutrimentum ubique locorum ſolet abundare. Morari plerúmque ſolet ſupra terram duos integros menſes, aut paulò plùs; reliquis anni menſibus latet ſub terrâ, nulloque nutrimento utitur, mortui inſtàr ac planè immotum perpetuò quieſcit; at calidâ manu aut alio modo contactum, illicò movetur, ut ſæpè ipſemet expertus ſum: ſicuti & hoc, nunquam hujus generis bruchos duos pluresve junctos ſub terrâ reperiri, ſed ſemper ſolitarios.

Antequàm vermes, hactenùs deſcripti,

ſcripti, in molitores ſive melolonthas transformantur, annum ſupergreſſi ſunt quartum. Vermis in appoſitâ tabulâ expreſſus, formam mutare cœpit tertio die Septembris anno 1658. modumque tranſmutationis in tabulâ delineavi; atque in Maio anni 1659. ſive ſequentis anni, ex eâ prodiit melolontha, cujus figuram exhibui. Diù vivit, modò non penuriâ alimenti, aut vehementiâ frigoris enecetur.

NUM. CXII.

HOc erucarum genus herbaſcenti tritico inſerpens offendi, aſt alibi fruſtrà quæſivi: pernicioſa ſunt animalcula, ſiliquas enim ſeu folliculos virides, quibus triticum increſcit, exedunt: velociter etiam aſcendunt & deſcendunt: ſimulatque legumen manu

ſeu

ſeu bacillo quaſſari præſentiunt, confeſtim hæ, minimæ æquè ac majores, in terram ſe demittunt, imò minores ocyùs majoribus, ſiquidem illæ non adeò apprimè leguminum tenaces ſunt, ac hæ, quæ in poſtremâ corporis parte forcipe armatæ ſunt, cujus beneficio tenaciùs, quàm minores, leguminibus ſe ſolent apprimere; in terram delapſæ, in eam irrepunt, & ſub illâ latitant.

Harum una tritici affixa legumini, novam indutura formam, ſe deponere xi. Cal. Sextil. eo ſitu, quo depictam in Num. 112. videre eſt. At vi. Id. menſis dicti, in lucem edere animalculum maximè ſitibundum; namque ſimulàc prodierat, largitèr ac ſæpè bibere: ex quo conjecturam feci, naturæ hoc animalculum eſſe calidioris, veluti homines, quibus jecur fervet, uti

loqui

loqui amant recentiores Medicorum filii, quique id quotidiè potantes longis ac sæpè repetitis tractibus refrigerant. Animalculum hocce admodùm diu aquâ cum saccharo commixtâ posse sustentari, ac vivum conservari, teste experientiâ didici, quâ, quæ scriptis mando, comprobantur omnia; ac potu destitutum, non ultrà vi. aut v. diem vivere. Hanc Erucam, quò ab aliis distinguam, signare soleo nomine χλωροπυροφάγου aut γεωργοχαλάζης; appellatione mutuatâ a quodam propugnaculo in diœcesi Hulstanâ in Flandriâ sito, ità dicto, quod rusticis fuerit calamitas, eosque belli tempore vehementèr infestârit.

NUM. CXIII.

EXilia hæc animalcula ipsis pueris, puellisque nota sunt; in *Hollandiâ*

Hollandiâ & *Zelandiâ*, atque aliis in Regionibus dicta nomine, *Beſtiolarum Domini*, *Onze Lieven Heerens beeſties*, & in *Flandriâ*, ac *Brabantiâ*, *Mariæ Animalcula*, *Onze Lieve-Vrouwens-beeſties*, proculdubiò, ob eorum elegantiam inſignem.

Originem debent ſemini, quod ipſorum parentes excernunt, atque foliis Ribeſiorum imponunt, quodque calor Solis fotum, ac ſatis coctum excludit. Semina hæc oviformia xiii. Cal. Jun. ſibi mutuò in orbem appoſita, non ſecùs ac in piſtoris furno excoquendi panes componi ſolent, primùm nigricabant, ſed iv. Cal. dict. viridabant inferiùs iv. verò Non. Jun. hæc ova ſingula ſingulis in medio nigris diſtinguebantur maculis, ſeu punctulis, ipſis autem dicti menſis Non. his ex ovis, corpuſculo partim flaventia, partímque nigrican-

tia

tia progignebantur animalcula, in quibus nullum vitæ apparebat veſtigium, niſi halitu afflatis; tùnc etenìm ſeſe ultrò citróque movere, veluti qui naves ædificant in littore jam factas, & de ſolo in ſalum demittendas, quaſſare, & agitare ſolent; ſed loco ſuo non cedere. At viii. Id. Jun. ubi eorum pedes ſicci aëris beneficio jam duriuſculi & ſicciores facti erant, paululùm proſerpere. Poſtmodùm latè diſcurrere; ſed circa veſperam, & aurâ frigidiore, denuò concurrere ſeſeque ſibi invicèm arctè adjungere, vel ut mutuam colerent ſocietatem; vel ut à ſe mutuò concaleſcerent, atque hoc in ſitu, & poſiturâ ad poſteri diei matutinam horam vi. permanere: tum quodlibet in viam ſe dare denuò, conquirendi alimenti ergô: illud autem ipſis eſſe ſolet ros, è cœlo fluens

ens in ribeſiorum folia, & peculiari alimenti vi præditus; hiſce non tantùm, ſed & multis aliis inſectis, ex naturæ inſtinctu eo nomine probè cognitus, ſiquidèm illo victitant.

Ad diem præter propter Id. dicti menſis præcedaneum, hæc inſecta, unum poſt alterum, ſuo tempore, velutì Serpentes aſſolent, pellem exuere, ut nos veſtes deponere, quum cubitum ſecedimus; leberidem mutant; quo facto colore flaveſcunt, & nigricant, quo unum ad Num. 113. expictum conſpicere eſt: die autem poſtero, ipſis Idib. aut circa Id. alterâ vice formam, & colorem commutant, ità ut flaveant, & rubeant; prout ad Num. 113. videre datur: tertiam vero occipiunt metamorphôſin xviii. Cal. Quint. aut altero ab alterâ tranſmutatione die, eâ poſiturâ, & nigro rubroque co-

lore. Quartam ſubire ſolent tranſmutationem tertio poſt tertiam metamorphôſin die xv. nempe Cal. dict. Atque hæc ultima, quam patiuntur, eſt tranſmutatio, ejuſque beneficio ſibi ultimam conſequuntur cuticulam, partìm colore nigram, & rubram atque ubi rubet nigris maculis, punctuliſve variegatam, uti eam Num. exhibet.

Hoc interim in animalculis hiſce obſervatione non indignum eſt, quotieſcunque exuvio ſe exuunt, terræ, folio, chartæve cui inſiſtunt, pedes illa ſuos affigere, atque ubi jam eos fixêre, è cuticulâ prorepere illamque conſiſtentem relinquere, adeò ut eam videns diceres, unum adhuc animalculum iſthìc conſiſtere, non ſecùs ac ovum exorptum, aut halitus beneficio evacuatum, pleno eminùs ovo ſimile videtur, aut ocrea, cui pes exutus eſt, pedem refert;

refert: ità quoque hujus animalculi pellis exuta id ipſum externâ formâ repræſentat; ſed μορμολυκείω ſimilis eſt, quod Vulpes, fabulante Æſopo, mimi ædes ingreſſa, ac omnia ipſius vaſa perſcrutata, manibus accepit inquiens, ὦ οἵα κεφαλῆ, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει: Ita quoque hoc exuvium interiori corpore, & inteſtinis deſtitutum eſt.

Haſce beſtiolas aliquod tempus rore, ante Solis ortum, è foliis antè dictis, collecto ſuſtentavi, donèc videram eas juſtam jam nactas eſſe perfectionem, & magnitudinem, nec ulteriorem facturas verſuram: atquè eo temporis emancipatas ipſas ſibi victum ſivi quiritare, & propriâ vivere quadrâ.

NUM. CXIV.

MAgnoperè iſthôc Erucarum genere infeſtari ſolent δερμαλομαλακίαι, ſive pelliones, ſiquidem pellibus, veſtibus pelliceis, aliiſque operibus, quæ ex pellibus conficiunt, non levem noxam inferunt: nomen igitur huic, quam exhibemus, eſto δερμαλομαλακικὴ χάλαζα, *pelliomum calamitas*, aut breviùs, magiſque per compendium, & fortaſſis Græcè magis δερμηστὴς: namque hic Græcis eſt σκώληξ, ὁ τὰ δέρματα ἐσθίων. Hanc autem offendi inſidentem plumis arefacti Anatis, & viventem adipe ſeu pinguedine, & cutem exedentem omnem: haſce etiam arbitror ex adipe ſeu pingui originem ducere, ſiquidem eo victitant; uti multa inſecta ex eo exiſtunt, & conſtant, quo nutriuntur, ex Phyſicorum

rum ſententiâ; admodùm velocitèr prorepunt, ſimulátque aliquid ſentiunt, quod ipſis poſſet faceſſere negotium, confeſtìm ſe ſub plumis eunt abditum, ut non ità facile inveniri poſſint.

Hoc obſervationem, & admirationem meretur, haſce deciès, antequàm ſe tranſmutandas deponunt, cutem mutare; & totiès ſe ab immunditie mundare, quotieſcunque pellem exuunt. Hæc autem contortum refert filum tenue, & firmitèr compactum tamen, ſpithamam ſeu dodrantem longum, quod & extendi poteſt, viſcoſum enim eſt, & fractu contumax. Atque ſub hâc immunditie ſordidâ latitare ſolent.

Hanc expertus ſum à die iv. Non. Jun. uſque ad Calend. Septemb. alimentum ſumpſiſſe, quùm edere deſiſteret, tranſmutationem ſuam oc-

cæpiſſe, eâ poſiturâ, quâ in tabulâ expictam vides: xiii. Cal. Novemb. produxiſſe in lucem animalculum; quod ubi primùm prodierat colore erat ſubfuſco, ſive badio, & phœnicio, & deindè rubrum, poſteà nigrum induebat colorem, qui in medio corpore ſubflaveſcebat.

Haſce beſtiolas tamdiu quàm libet vivas ſervare licet, ſi ipſis apponantur juglandes, ſive nuces Regiæ preſſæ; aſt, ſubducto iis alimento, quatuordecem duntaxàt dies vivunt: inſecta nulla his æquè meticuloſa ſunt: ſimulatque quicquam datur præſentiſcere, quod noxam iis poſſet inferre aliquam, ſtatìm ſe nôrunt ſimulare mortuas, mortis metu, ne vitam, quam impensè amant, amittant, uti aliæ Erucæ, nonnullæ, de quibus antè egimus.

Alteram quoque, quod admiratione dignum eſt, hujus generis

Erucam

Erucam alui, isti, quam tabulâ insculptam conspicere est, concolorem ; quæ iii. Non. Septemb. eâdem formâ & positurâ, quâ antè dicta, transmutationem ingressa in eâ permansit ad xii. Cal. Decembr. quo die enixa est bestiolas geminas, masculam è dextro, & fæmellam è siniſtro latere. Sed unde, inquies, marem à fæmina tibi dabatur discernere ? responsum habe, ambas hasce, ubi jam horæ quadrantem excluſæ fuerant, coiisse, atque ità repræsentasse oculis, utra mas, & utra foret fæmella ; verum masculæ proles paulò erat oblongior, ac gracilior, quàm fæmella, at fæmella contrà crassior, & magis rotunda. Siquidem autem harum bestiolarum altera alterius magnoperè consortio gaudere, atque ambæ probè inter se convenire mihi videbantur, illis liberioris aër[illegible]

pi uſuram donavi, atque pariter eas ſivi deambulare, ut ſimùl, veluti Hippocratis gemelli, qui ſimùl partu editi, ſimùl comedebant, ſimùl bibebant, ſimùl vivebant, atque ſimùl moriebantur, ità & hæ unà ſibi victum quæritarent, unà ederent, unà viverent, unà ſobolem propagarent, atque morerentur, atque unà ad ſuum reverterentur principium, quemadmodum fluvii, qui in mare influunt, & ex eo refluunt, aut veluti homines, qui in humum & pulverem revertuntur, unde deſumpti ſunt: hoc etiam accepto beneficio non parùm oblectatæ videbantur, namque gaviſæ iter unâ ſuum ingrediebantur.

In hiſce Erucis teſtis oculatus animadverti ſecretum naturæ miraculum; ex unâ & eadem ſpecie duas ſpecie diverſas enatas beſtiolas; ex alterâ unam, & ex alterâ geminas,

geminas, marem & fæmellam: quod non exiguâ dignum admiratione mihi viſum eſt; ſiquidem his oculis egomet hanc mutationem videram, nec ejus rationem deprehendere, imò ne quidem vero ſimilem. Ah! quantum eſt quod neſcimus homunciones? Ita nobiſcum comparatum eſt, uti cum Vulpe Æſopicâ à Ciconiâ, aut Grue invitatâ ad prandium; *pultem videmus*, ſed *vitrum lambimus*.

NUM. CXV.

ACcuratâ inveſtigatione factâ quidnam ex pinguedine *Verbaſci*, quod & Latinis *tapſus*, & *thlapſus barbatus*, Græcis φλόμος, & Belgis, *Wolle-kruid* dicitur, enaſci ſoleat, didici, ex hujus herbæ foliis infernè æquè ac ſupernè adipoſam quandam ſtillatim fluere pinguedinem

dinem medio Junio (quandóque tamen citiùs, aut ſeriùs, verùm xvii. Cal. Quintil. qui Junio dies eſt medius, utpotè æqualitèr ab extremis diſtans, hoc quod dico, comperi) quæ in vivum abibat animalculum xii. Cal. Quintil. Vermiculum nempè exiguum, qui medio corpuſculo pellucidus ad modum aquæ, coloris erat adinſtar Saphyri ſubvireſcentis quæ lentè, & lenitèr à Solis calore agitabatur, ſed viii. Cal. dict. coloris ſubflavi, aſt v. Cal. aurei, ſexque jam pedes nactus: vi. Cal. nominati menſis corpuſculum poſterius, quod flavi coloris, xxxii. & anterius viii. maculis nigricantibus diſtinctum ſe oculis offerebat.

Victitant animalcula iſthæc ſolâ lanâ, Verbaſci foliis increſcente.

Hæc autem lana, Terebinth. Venet. commixta, & in pillulas coacta,

acta, & pro ſuffumigatione adhibita, & incenſa, ut fumus aſcendat, præſentaneum ſanandis Hæmorrhoidibus, (quod, ut omnia, expertus loquor) eſt remedium.

Animalculum hocce ſe dabat metamorphôſi pridie Cal. Quintil. dict. ſed quoniam nihil peculiare ex eo prodiit, thecæ formam non expinxi: tantummodò enim, poſtquàm ſe quieti dederat, quaſi tranſmutandum, in rotunditate ſuâ excreſcebat; & vi. Id. Sextil. è curiculâ ſuâ, tanquam corte, proſerpebat, colore ſubflaveſcens, nigris diſtinctum maculis, & figura rotundum.

Obſervatu non indignum eſt, hoc animalculorum genus, ubi primùm flavum colorem induunt, atque ipſis necdum pedes ſunt annati, ab inimicis ſuis uſque obſideri, atque circumcingi. Illi autem

ſunt

ſunt aranei quidam exigui, qui ejuſdem cum ipſis ſunt coloris,& magnitudinis, atque ipſorum viſum, proculdubiò per id, quòd ipſis ſunt concolores, ſolent fallere.

Aranei hi ex eodem, quo iſta, naſcuntur folio; atque idcircò iis amicos eſſe, vel ſaltem debere eſſe diceres, utpote ipſis contribules, concolores, & in omnibus ſimiles; attamen hoſtes ſunt infeſtiſſimi; namque iis quaſi lupi ſunt, ut homines hominibus.

Inſuper alio hæ beſtiolæ infeſtantur hoſte, colore atro, & gerente nigram in fronte forficem, quam pro libitu aperit, & claudit, quâ has, ut & harum hoſtes, unicâ quaſi inciſurâ ſolet perſcindere, & interimere. Hunc etiam, uti has beſtiolas, & araneos, ex verbaſci folio progigni arbitror; namque omnes ſimul non ſemel, &, quidem

dem tenerrimos, in folio reperi, adeò ut ex eo originem ſimul traxiſſe exiſtimaverim.

Omnes etiam lanâ verbaſco increſcenti victitant. Ut Phyſici nos homines ex iis conſtare judicant, quibus nutrimur; ità & ego haſce beſtiolas, hos araneos, & nigra animalcula ex hoc folio, ſive hâc lanâ, quæ in eâ creſcit, ſive ex utroque, tanquàm materiâ exiſtere, & conſtare exiſtimo, ſiquidem hinc nutriuntur.

Hæc lana, Cryſtalli inſtar pellucet, atque ſemet oculis offert, ac id quod alendi vim habet. Verbaſcum ſaltem vernans & viridans, antidotum adverſus Serpentum venenum, & inflicta ab ipſis vulnera. Beſtiolas has, quò ab aliis ſecernas, non injuria vocaveris, me judice, φλωμοφάγας, ſive αἱματιωχομένας.

NUM.

NUM. CXVI.

QUamvis animalculum in tabulâ depictum admodùm ſit exile, veſcitur tamen carduo ad Num. 116. deſcripto, a quo magna & robuſta animalia abſtinent. Transformari cœpit nono Julii, modumq; ſeu figuram transformationis ob ſingularem elegantiam expreſſi ad Num. 116. Pars ſuperior figuram refert coronæ imperialis, ſub quâ ſeſe offert vultus humani imago: in medio ſimilitudinem habes alicujus inſignis. Status ille transformationis hoc modo duravit dies duodecim, poſteáque ex eo apparuit animalculum viride, ſex pedes habens, quod itidèm depinxi, & diſcriminis cauſâ, teſtudinem viridem appellavi.

NUM.

118.

119.



120. a.

120. b



120. c.

121.



122.

123.

124.

125.

126.



127.

128.

129.



130.

131.

132.

133.

134.

135.

NUM. CXVII.

ANimalculum in tabulâ ſive ad Num. 117. delineatum, præcedenti non multùm eſſe diſſimile; alimentum ei præbet meliſſa, cujus ſuccus cum vino potus calculi dolorem mitigare creditur. Inter rependum juxta extremas corporis particulas apparet pellicula, quæ continuo motu corpus ventilando refrigerare videtur, tranſformari cœpit ſeptimo Junii, & poſt dies decem formam accepit inſecti ad Num. 117. expreſſi.

NUM. CXVIII.

ERucas, quas Num. 118. repræſentat, ſuper ſalicum folia, ordine quodam, tanquàm in acie diſpoſitas, atque erectis corporibus inveni.

inveni. Cúmque ad juſtam magnitudinem perveniſſent, inclinatis corpuſculis ſuis edere cœperunt, ac tenerrimas foliorum particulas abradere, adeò ut nihil ſupereſſet præter aridam quandam pelliculam. In principio flavæ apparent, poſteà nigræ evadunt. Ad transformationem ſe compoſuere ſeptimo Junii, & decimo-octavo die ejuſdem menſis apparuerunt animalcula ad Num. 118. depicta. Habent hæc animalia juxta podicem gluten aliquod, quo tenaciter adeò corporibus quibuſvis adhærent, ut vix agitatione removeri aut diſcuti queant; ideóque glutinoſa nominavi.

NUM. CXIX.

GRyllotalpas quod attinet, variis experimentis didici eas admodùm eſſe robuſtas, ac vitæ tenacis

nacis & firmæ. Nam uni ex his gryllotalpis, quas tibi ad vivum propoſui in tabulâ, caput abſcidi, quod poſt dies duos ab aliâ Gryllotalpâ totum fuit exeſum, non niſi duobus exilibus nervis relictis; vixit tamen caput illud poſteà adhuc horas duodecim. Aliam Gryllotalpam laqueo ſuſpendi in fervore ſolis, adeò ut tota nigra evaderet, quæ tamen non ante diem ſeptimum expiravit.

In nidis ſuis conſtruendis admodùm ingenioſæ ſunt, eligunt eum in finem glebam aliquam terræ firmam & tenacem, inque eâ foramen parant ſibi quo ingredi commodè atque egredi poſſint. Intùs magnam conficiunt cavitatem, in quâ plus quàm centum, imò nonnumquàm centum & quinquaginta ova deponunt. Hoc facto, accuratè foramen ingreſſus occlu-

dunt, totamque glebam, quantùm fieri poteſt, confirmant, eâ enim confractâ ova omnia pereunt, & à quibuſdam nigris muſcis, ſub terrâ latitantibus, conſumuntur : ideóque de ſtabiliendâ ac conſervandâ hâc glebâ anxiè ſolicitæ ſunt. Itaque circum-circa hanc glebam ſibi ductum quendam ſubterraneum parant, ut eam ambire poſſint, atque undiquaque conſervare. Præterea circa glebam hanc alia conficiunt ſibi antra & latibula, ad quæ neceſſitatis tempore confugere poſſint.

Deinde nidos ſuos mirâ induſtriâ, inſtante aurâ calidâ & ſiccâ, adeò attollere nôrunt, ut ſuperficiem terræ propemodùm contingant : Ut tanto citiùs meliúſque ova calore ſolis foveantur atque emittant fœtus. Contrà verò, aura ad frigus & humiditatem ſe inclinante,

clinante, nidos ſuos profundiùs in terram demittunt. Obſervavi quoque Gryllotalpas alas habere, ſed non ad volatum, verùm ornatus cauſa ipſis conceſſas, utque iis partem corporis poſteriorem, utpotè tenerrimam, contegant conſerventque.

In Walachria Zelandiæ inſula, plurimæ reperiuntur Gryllotalpæ, multúmque nocent frugibus terræ adhuc tenellis, quas ore tanquàm ſerrula quadam confringunt, & radices diſſecant. Has ut removeant hortulani, ollulas exiguas terræ ita imponunt, ut ſuprema labia cum terræ ſuperficie æqualitèr ſe habeant, in has incidentes Gryllotalpæ exire nunquàm poſſunt. Vel nidi earum confringendi ſunt, tunc enim ova nulla vitales fœtus producent, ut antè quoque indicatum.

NUM. CXX. *a.*

ANimalculum hocce, quod ad vivum expictum tabulâ tibi exhibeo, non amænum adſpectu eſt, ſed oculis ingratum, uti Scarabæi: ſub terra plerumque latitat; alis deſtitutum eſt, foliis Anemones, ſeu Ranunculi hortenſis victitat. Captum hoc iii. Non. Maias, immiſi in vitrum majuſculum, recenti terra refertum. Quinto Id. menſis dicti poſteriori corpore ſe in terram intrudebat: poſthàc cameram, in qua id continebam, ingreſſus deprehendi, poſteriori corporis parte delapſum in ſcrobiculum à ſe factum, at tunc temporis necdum animadvertens foſſum hoc ab ipſo ſcrobiculum, ut in eo ſemen ſuum deponeret, ex eo id eximebam, & ſcrobiculum terrâ repletum, cum reliquâ

reliquâ planum faciebam: alterâ vice aliàs reverſus, in ſcrobiculum poſtremo corpore denuò demiſſum offendebam, atque iterùm extrahebam: verùm ubi tertiâ vice id in ſcrobiculo jacens videbam, in eo id ſivi quieſcere; atque animadverti oculis eo temporis id non exiguam in ſcrobiculum depoſuiſſe copiam ſeminis, quod colore flavum erat, & ſimile arenulis densè compactis, cujus effigiem in tabulâ repræſentatam videre eſt. Ubi hoc animalculi ſemen ſuum excreverat alterò tantò minus, & tenuius factum erat, atque fuerat antè: nam ſemine gravidum ac ſaburratum corpuſculum protrahebat ægrè; ſed ubi ſemen ſuum jam depoſuerat, tenue erat admodùm, & agile: avidiùs etiam multò, plúſque cibi capiebat, quàm ſolebat antè: poſterâ nocte ità etiam contrahebat

corpuſculi ſui partem poſtremam, ut dimidio brevius, ac anteà fuerat, videretur: xii. horarum ſpatium dormiebat continuum ſingulis ferè diebus: quotieſcunque evigilârat, ei conſuetum ſubminiſtravi alimentum, quod devorabat avidè.

Quartò autem Nonar. Jun. id offendi denuò poſteriori corporis parte in terram illapſum, & continuò terram calcans, uti illâ corporis ſui agitatione faciliùs ſemen excerneret; non ſecùs ac tauri (ſi parva licet componere magnis, ut ſolent Poëtæ) argillam calcant, unde conficiuntur in figlinâ propè *Harlemum* tegulæ, quibus Noſtrates tecta ſternunt; aut veluti piſtores maſſam ſiligineam pedibus conculcantes ſolent depſere, hoc modò ſemen alterâ vice excretum in terram deponebat hoc animalculum, eâdem formâ, quâ priori vice; ſed

eo

eo facto, non admodùm diu ſupervixit; ubi enim Anemones dictæ folia marceſcebant, & areſiebant, moriebatur, inediâ procul omni dubiò.

E ſemine, ab hoc animalculo primùm excreto, quamplurimi exigui admodùm prodierunt vermiculi, ſetis equinis non craſſiores; ſed xi. Cal. Quintil. hi prorepebant velocitèr, æquabantq; magnitudine corporis granum ſeminis Naſturtii, & nacti erant ſex pedes, ac duo cornua. Vermiculorum horum numeratâ parte maximâ, inveniebam ſex ſupra duo millia. ſed numero quidem erant ter mille, proùt exiſtimabam.

Semen alterum, quod ſecundùm depoſuerat, iii. Cal. dictas multos etiàm producebat vermiculos, prioribus omninò ſimiles ſed non tot numero. Hoſce etiam numerare

inducebam in animum, ut curioſitati meæ, & φιλομαθείᾳ ſatisfacerem; atque idcircò penicillum, qui ad manum erat, in aquam intingebam, illique adhærentes tollebam, illius beneficio, alterum poſt alterum, ſublatoſque & numeratos indebam vitro, ſex & noningentos numero: reliqui (namque multò plures erant) aut de penicillo in aquam incidentes ſubmergebantur, aut ſibi invicem ità erant agglutinati, ut eos numerare non potuerim.

Non exiguam navabam operam, inveſtigando alimento hiſce vermiculis utili, & grato, illiſque ejus ope ſuſtentandis, & educandis; ſed fruſtrà: apponebam enim iis mel, lumbricos demortuos, quos vulgò dicunt noſtrates *Regen-wormen*, ſiquidèm, cum pluit, è terra ſolent prorepere, præterea formicarum

carum ova, ſaccharum & panem, herbaſque varias ſucculentas; ſed educare, atque ad juſtam perducere magnitudinem non poteram horum omnium beneficio. Verùm ut animo curioſo obſequerer, vermiculorum horum unum tubulo Optico, cujus ope viſibilia omnia majora, quàm revera ſunt, videntur, impoſitum, ad vivum depinxi, ea forma, qua meis ſeſe oculis conſpiciendam dabat, quaque veſtris ſeſe offert, in tabula. Hunc, uti & alios, vivos conſervavi, & comperi quotannis eos colorem mutare, altero quidem anno aquilum ſeu fuſcum, tertiò vero nigrum induere.

Animalculum hoc, vocavi nomine *Audacis*, eò quod ferox eſt, & devorare ſolet vermes eos, qui erucas conſuêrunt abſumere. Verùm id, de quo hîc egi, quod ſemen

men illud egeſſit, ex quo numero innumeri vermiculi ſunt progeniti, hujus ſpeciei fæmella erat (mares enim non pariunt, uti notum eſt) Quocircà huic *Audaci fæmellæ*, ſeu *devoratrici*, ſi vis, nomen aſſignato.

NUM. CXX. *b.*

VErmem in tabulâ expreſſum inveni ſub catillo ferreo. Ferox eſt devoratque vermes omnes reliquos, qui erucas conſumere conſueverunt, ideóque audacem appellavi, conjeci eum (experimenti faciendi gratiâ) unà cum quatuor vermibus flavis, erucarum inimicis infeſtiſſimis, in vas aliquod porcelaneum. Statímque arripuit vermes illos forcipe ſuo circa collum, atque eâ ratione omnem eorum ſuccum exhauſit. Et quamvis vermes flavi ſe variis modis contorquerent

torquerent, ut aliquâ ratione poſſent elabi, hic tamen ſe immotum continuit, donèc omnes eos jugulâſſet & conſumpſiſſet.

NUM. CXX. *c.*

TAbula 120. *c.* proponit tibi præcedentis vermis conjugem. Tardi eſt motus in rependo, atquè iteratis ſæpè ac renovatis vicibus procedit interpoſitâ quiete aliquâ. Vivere ſolet in tenebris, ſub terrâ, aut etiam ſuper terrâ in locis obſcurioribus. Solis alitur vermibus aliis quos devorat, ſibique in cibum quærit, ubi aliquem vermem poteſt invadere, ejus partem poſteriorem arripere ſolet, tamque diu premit forcipe ſuo, quem ſubinde aliquoties aperit & claudit, donèc dilaceraverit alvum, atque impoſito pede reliquo corpori, viſcera exſugit, comeditque

meditque, aliquotiès ſublato in altum capite. Obſervavi inteſtina flavorum vermium, quæ extraxerat, craſſitudinem habere vulgaris capilli humani. Poſtquàm jam ſatiatus eſſet, horas quinque dormiit, ſine ullo motu, atque attracto ferè ſub corpore capite, ſuper alterutro laterum decubuit.

Et quia vermis hic tardi admodùm eſt motus, & non niſi ex præda aliorum vermium vivit, dedit ei natura alas. Habent hæ alæ longitudinem totius corporis, neque tamen comparent, aut conſpici ullo modo poſſunt niſi ipſe foràs producat; tam acuratè & clàm eas novit corporis parte poſteriore convolvere atque implicare, atque ita complicatas anteriora verſus attrahere, ibique conſervare & abſcondere; adeò ut minimè ſordeſcant, licet ſub terrâ repat ſeque contineat.

SECT.

SECT. VII.

De Cicadis.

NUM. CXXI.

JAm diu, annoſque multos deſideravi ſcire, undenàm locuſtæ traherent originem, & ut inveſtigarem illud, non ignavam navavi operam. Annorum xl. experientia mihi teſtis eſt, locuſtarum hoc genus, de quo ea eſt, quam tabulâ Num. 121. exſculptam & expictam exhibeo, quotannis in Zelandiâ noſtrâ, menſibus Novembri, & Decembri circa annoſas tilias fuiſſe verſatas, eaſque ex hiſce arboribus humorem quendam fugere, quo ad

ad aliquod, nec tamen longum tempus vivunt; ingruente enim brumâ emoriuntur omnes, quæ ex tiliâ egreſſæ ſunt; & vero ſimile eſſe videtur, debere eas illas arbores deſerere, ſiquidem eas in illis alimentum deficit. Donèc vermes ſunt, in ligno tiliarum, & de ligno ipſis datur vivere; ſed ubi locuſtæ evaſerunt, alio quàm frondibus, & humore harum arborum, alimento opus habent.

Vermis hic, quandoquidem ex eo locuſtæ naſcuntur, diſcriminis ergò, & jure merito ἀκεφαλὸς appellandus venit. In transformationis ſtatu jacens, non facilè invenitur, niſi quùm ventorum vi radicitùs evelluntur è terrâ arbores, aut vergente jam anno, ubi ſylva cæditur. Circa id temporis mihi quoque vermis hic, jam tranſmutationem ſuam ingreſſus, atque in eâ quieſcens

cens in manus venit, adeò ut diſtinctum temporis articulum, quo ſuam tranſmutationem occœperat, mihi non liceat deſignare: ſe enim in arbore interiore, ejuſve medulla ad tranſmutationem depoſuerat, atque in diſſecto ligno eum inveni ipſis Cal. Decembr. ignarus, quando ſeſe depoſuerat. Simulàc eum nactus fueram, ſepoſui in propria terra conſtitutum in locum calidiorem propè caminum: at pridiè Calend. Februar. locuſtam in lucem edidit, quæ primùm pellem, & deinde colorem mutabat: hancque per dies xiv. appoſitis ipſi malorum, pyrorum, & ſacchari ferculis ſuſtentavi; aſt ſiquidem hæc non ſolita ipſi alimenta erant, tandèm extincta eſt.

SECT.

SECT. VIII.

De Muſcis.

NUM. CXXII.

VErmis tabulæ Num. 122. natus eſt ex putrefacta cujuſdam avis carne, quem ſub vitro conſervavi, donec transformari inciperet trigeſimo die Maii, & decimo-quarto Junii formam habuit muſcæ majoris à latere ipſius vermis delineatæ. Quùm primùm ex verme ſeu ovo ſuo prodiret hæc muſca, nullæ apparebant alæ, ſed ſpatio mediæ horæ duplo quàm antè major videbatur, atque alis expanſis ac complanatis.

NUM.

NUM. CXXIII.

VErmis cujus effigiem vides ſub Num. 123. originem traxit ex mortuâ corruptâque Picâ Flandricâ. Latibulo ſibi quæſito, (de more inſectorum quæ tranſformantur) mutari cœpit duodecimo Junii, & vigeſimo-ſeptimo die ejuſdem menſis formam induit muſcæ à latere vermis ſub Num. 123. delineatæ.

NUM. CXXIV.

VErmiculus juxta Num. 124. expreſſus, originem habuit ex corrupto cerebro gallinaginis aquaticæ. Ubi transformationis tempus appropinquat, foramen ſibi in ligno aliquo terebrando parat, inque ea cavitate ſe occultat:

omnes capſulas ligneas in quibus eum conſervare conatus ſum, terebrando aperuit; adeò ut vitro eum includere coactus fuerim. Tranſformari cœpit duodecimo Auguſti, & vigeſimo-ſexto ejuſdem menſis formam habuit muſcæ ipſi vermi ſub Num. 124. appoſitæ.

NUM. CXXV.

VErmiculus tabulæ ad Num. 125. depictus, originem traxit ex tritici furfure putrefacto, quem aquâ mixtum in loco quodam ſervavi donec aceſceret,& putredinem contrahere inciperet. Ex hâc putredine multi prodierunt vermiculi, qui novam formam omnes ſimùl aſſumere cœperunt vigeſimâ-ſecundâ die Junii, & ſecundâ die Julii ejuſdem anni, omnes in muſcas mutati ſunt; qui ſine alimento


136.
137.
138.
139.
140.
141.
142.
143.
144.

mento vivebant uſque ad decimum-ſextum ejuſdem menſis.

Muſcæ *ſubſequentes* Genus *diſtinctum conſtituunt, idque propter* celerem & continentem *volationem perquàm notabile.*

NUM. CXXVI.

ANimalia multùm ab invicem differunt natura, proprietatibus, locis, origine, alimentis, &c. nam exempli gratia, paradiſi avis dicitur ut plurimùm in libero Cœlo vagari, atque eſcam ſuam ex aere & nubibus colligere; at contra aliæ nonnullæ aves quærunt alimentum ſuum ex brutorum hominumque excrementis, idem patet in hoc vermiculo, quem ob originis fœditatem vermiculum porcinum appellavi. Invenitur enim in latrinis & impuris cloacis, ibique ex putredine naſcitur, in materiâ humidâ & calidâ.

Figuram hujus vermiculi exhibet tabula ad Num. 126. Cauda ejus prolixa prohibet ne perpetuò inter rependum in orbem circumvolvatur, quùm corpus habeat rotundum, quod pedibus caret: ſimulàc igitur rotari incipit, motu caudæ ſitum ſuum conſervat, ad tranſmutationem ſe componere cœpit vigeſimo ſexto die Auguſti, in quem finem hi vermiculi latebras quærunt in fiſſuris & rimis veterum parietum. In transformatione ſuâ permanſit, dies ſeptemdecem, cujus effigies expreſſa eſt tabulâ, poſtque illud tempus ex eâ prodiit apis ibidem delineata.

Quùm primùm natam hanc apem conſpicerem, alis eam carere exiſtimabam, nam earum loco nihil potui animadvertere præterquàm duas exiguas maculas albas inſtar ſummitatum vulgarium aciculârum;

cularum ; ſed ſtatim cœpit apis maculas illas albas poſterioribus ſuis pedibus explicare, ac ſpatio duarum horarum ita adaptavit,ut perfectam haberent alarum formam, & ad volatum eſſent idoneæ.

Alimentum hujus apis eſt ſuccus quidam dulcis quem trahit ex floribus Cardui Benedicti. Veſcitur etiam Saccharo, eoque longo tempore in vitâ conſervari poteſt. Pauco utitur alimento, nam integros dies xxi. ſine ullo alimento vivit ; ex quo collegi calorem ejus vitalem blandum eſſe ac moderatum, atque humido ejus nativo exactè attemperatum.

Per Apem *intelligenda eſt* Muſca, (*i.*) Inſectum duabus *tantùm alis præditum* ; *cùm* Genus apianum *ſemper gaudeat* quatuor alis.

NUM. CXXVII.

VErmiculus cujus effigiem exhibet tabula ad Num. 127. invenitur in latrinis, originem habens ex hominum excrementis; in rependo admodùm tardus eſt, adeò ut non abſque ratione pigrum appellare liceat. Ad transformationem ſe compoſuit vigeſimo octavo Septembris, inque eâ permanſit uſque ad vigeſimum ſecundum Octobris; atque eo tempore inde exorta eſt Muſca in tabulâ expreſſa. Solent Muſcæ hujus originis verſari circa loca, ex quibus originem habuerunt, neque Saccharo eas in vitâ conſervare potui.

NUM.

NUM. CXXVIII.

VErmis cujus figuram vides in tabulâ ſub Num. 128. originem traxit ex corrupto piſce antè ſiccato, quem Belgæ vulgò *Droogen-Viſch*, Latini Paſſerculos ſiccatos vocant. Nam cùm Natura nunquàm poſſit eſſe otioſa; paſsìm videmus corruptionem unius eſſe generationem alterius, atque ex putredine, & materiâ calidâ præſertìm ac humidâ, (quæ ad generationem magis idonea videtur) varia animalia produci. Expertus ſum vermiculum antè nominatum, vigeſimo ſexto die Maii in ovum fuiſſe mutatum, atque ex eo ovo, vigeſimo primo Junii ejuſdem anni, prodiiſſe muſcam magnam, cujus effigiem exhibet tabula ad Num. 128.

NUM. CXXIX.

VErmiculus ad Num. 129. repræſentatus, intra fruticis fructum natus eſt, qui contra hæmorrhoidum dolores remedium præſtare creditur, in ſaccis circumgeſtatus, ideóque à Belgis *Speen-appel* appellatur. Addunt alii tantam ejus eſſe refrigerandi vim, ut etiàm adverſus febres ardentes omnemque intemperiem calidam auxilio ſit. Vires has adſcribunt non tàm fructus ſubſtantiæ, quàm Vermiculo albo intra eam nato; inque uſus prædictos decerpi ſolet decimo-ſexto Octobris: nam Vermiculus ille albus in eo manet uſque ad medium menſis Junii ſequentis anni, eoque tempore in muſcam converſus, facto foramine avolare conſuevit.

NUM.

NUM. CXXX.

EXperiri volens, quid ex hominum urinâ putrefactâ & corruptâ proveniret, infundibulum feci ex chartâ ita complicatâ ut inter plicas ejus nulla muſca aut aliud animalculum poſſet intrare: atque infuſo ei infundibulo aliquotiès humano lotio, expertus ſum intra plicas ex adhærentibus urinæ fæcibus Vermes aliquos prodiiſſe. Unum ex iis, experimenti ſumendi gratiâ, reſervavi, qui ſe ad transformationem compoſuit primo Martii, ac decimo quarto die ejuſdem menſis formam habuit muſcæ in tabulâ ad Num. 130. delineatæ. Caput ejus rubrum eſt, corpus nigrum, poſteriora flava: habitâ originis ratione, eam *Piſ-vliege* ſive lotii, muſcam nominavi.

NUM.

NUM. CXXXI.

ORtus eſt hic Vermis ex alicâ, ſeu hordeo decorticato contrito, quod ipſe adhùc in minores particulas corrodit. Alica, humidior facta, computreſcebat, atque ex hâc putredine natus eſt Vermis; nam corruptio unius generatio ſolet eſſe alterius. Vivere hunc Vermem obſervare non potui, ſed tamen transformari cœpit octavo Auguſti, & vigeſimo-tertio ejuſdem menſis formam accepit muſcæ oblongæ, cujus figuram exhibet tabula ſive Num. 131.

NUM. CXXXII.

VErmiculus tabulæ Num. 132. ortus eſt ex putrefacto caſeo cumino mixto, quo etiam nutritur

tritur atque in vitâ conſervatur. Non tàm repunt hi vermiculi, quàm contracto in unum corpore, ſubitò atque locuſtarum more diſſiliunt. Antequàm ſe ad transformationem componunt, tres integros dies immoti quieſcunt. Hic quem tibi offert tabula ſive Num. 132. vermiculus aliam cœpit formam induere vigeſimâ-octavâ Novembris 1658. & decimâ die Maii anni 1659. muſca exigua apparuit, quæ ſine ullo (quod obſervare potui) alimento vixit dies octo. Ad Num. 132. ipſum vermem, tranſmutationis modum, & muſcam ex eâ productam delineavi.

NUM. CXXXIII.

ANimalculum cujus figuram exhibet tabula Num. 133. vulgò reperiri ſolet ſuper folia ribeſiorum

beſiorum uredine quadam tacta. Sub foliis illis latere animadverti ingentem numerum minimorum animalculorum, pediculorum inſtar; his veſcuntur erucæ hujus tabulæ. Dùm enìm erucæ ſine ullo manifeſto motu quieſcunt, atque ante nominata animalcula circa & ſuper eas repunt, extremitate acutâ roſtri ſui arrepta exſugunt. Quod hic deſcribitur inſectum transformari cœpit decimo-nono Junii, & trigeſimo die ejuſdem menſis ſub formâ muſcæ in tabulâ expreſſæ apparuit: atque ita ſpatio undecem dierum, ex vermiculo muſca nata eſt.

Pediculi *hi, veriſimilitudine ſummâ, ſunt* Cimices.

NUM.

NUM. CXXXIV.

VErmis cujus figuram exhibet tabula Num. 134. veſcitur exiguis quibuſdam animalculis, quæ pediculos virides appellant, & pinguedinem lambunt roſarum. Adeò ut undique manifeſtum fiat, nulla eſſe tam exilia animalia, quæ ab hoſtibus tuta ſint; ſed ut in mari, ita & ſuper terram, minora majoribus eſca fiunt. Corporis parte craſſiore & obtuſâ ſe vermis hic corporibus affigit & immotum continet, at parte acutâ & tenui, quæ figuram imitatur proboſcidis, undiquáque ſe jactat & movetur, ut aliqua ex antè nominatis animalculis apprehendat. Apprehenſa autem in altum tollit, ne ſe corpuſculis ullis applicare aut iis adhærere queant, atque

atque ità elevata exſugit, donec nihil reliquum maneat præter pelliculam quandam ſubtiliſſimam, alas & pedes. Formicæ videntur hæc quoque animalcula amare, ſæpiſſimè enim cum iis & magno ſtudio verſantur, verùm iis non nocere expertus ſum. Transformari cœpit vermis quarto Julii ſub figurâ ovi, & vigeſimo-primo ejuſdem menſis formam accepit muſcæ prælongæ ad Num. 134. delineatæ.

Hic fuit partus ſpurius, & Ichneumon-Veſpa; *verus partus* Muſca *eſſe debuit, inſtar proximè ſuperiùs deſcriptæ.*

NUM. CXXXV.

MUltas hoc genus Erucas in Sambuci frondibus invenire eſt; nec mirum, namque in iis ex ſemine à muſcâ quâdam, earum matre iis menſe Junio imponi ſolito,

lito, atque Solis calore excoćto, pronaſcuntur. Quocircà ut aviculæ, veluti Belgis eſt in diverbio, natale ſempèr ſolum amant, ità & hi Vermiculi his gaudent foliis, in quibus nati ſunt; iſthic etiam ipſis, uti & liberis benè eſt, imò nullibi meliùs, quinimò, quod admiratione dignum eſt, probè ex inſtinćtu ſciunt, iſthìc pullis ſuis, quùm in lucem prodibunt, eſcam jam paratam fore.

Erucarum hocce genus ex indito ſibi à Divinâ Providentiâ inſtinćtu, & ſi non cum ratione, ſaltèm cum ſpecie aut veſtigio rationis, aut cum eo, quod rationi eſt analogum, aut quod proximè ad eam accedit, conjunćto, certa & ſtatuta ſibi nôrunt tempora, eaque ſapientèr & accuratè obſervare ſolent; adeò ut iſthìc locorum ſemen deponant ubi ſciunt recèns natam progeniem inventuram eſcam.

Formicæ

Formicæ enim in extremos Sambuci ſurculos, & in pruni, pyri, ac pomi ramuſculos, nec non in Ribeſiorum, ſive Uvarum Urſinarum frondes, pinguem quemdam & fæcundum humorem deponunt, ex quo viridis, & quandoque etiam nigri coloris beſtiolæ naſcuntur; è quarum corpore poſteriori humor ſtillare ſolet, quem Muſcæ hæ vehementèr ſitiunt, ut piſces aquam, & avidiſſimè abſorbent. Quúmque hæ haſce jam beſtiolas, ſoboli ſuæ futuras eſcam, natas eſſe ſciunt, excretum dictis frondibus ſemen injiciunt, ex quo viva prodeunt animalcula, quibus ſex primùm pedes ſunt; quæque demdè oblongas conſequuntur alas: verùm hæc nunquàm volare deprehendi; at duntaxàt his Erucis in alimentum cedere.

Hæ autem Erucæ aſtutè admodùm

dùm & callidè illis ſe callent animalculis adjungere, & circum eas ſe deponere, ſomnum mortemve ſimulantes: adeò ut hæc animalcula inſontia atque ab omni ſuſpicione mali libera, ſuper Erucarum corpora reptum veniant; quæ ubi Erucæ ſentiunt, acutis roſtris apprehendunt, atque exſugunt, proboſcides ſuas in altum attollentes, Gallinarum more, ubi bibunt: atque hiſce beſtiolis erucæ victitant. Muſcis autem, quæ ex iis naſcuntur, partìm aluntur aves, utì homines avibus, quas retibus capiunt, aut ſclopeto petunt.

Mortem etiam, ut pleraque alia animalia, hæ beſtiolæ vehementer exhorreſcunt: nam ſimulàc has erucas vident, aut ſentiunt, confeſtìm fugâ ſaluti ſuæ conſulunt, non ſecùs ac ignavi timidique in bello milites.

Ubi vermis hic ad ſatietatem jam paſtus eſt, per xxv. horarum ſpatium continuum, torpori ſe dare ſolet, ac quieſcit, ab octavâ matutinâ ad poſteri diei horam nonam. Quùmque beſtiolas haſce corpori ſuo rursùs inſerpentes ſentit, tantùm inde cibi ſumit, quantum famelico ventri ſatìs eſſe judicat, at jam ſatur ſeſe iterùm quieti dat, ſeque quaſi mortuum oſtentat. Pridiè autem Idus Jun. Vermis hic, foliolo affixus, ad ſubeundam transformationem ſe componebat, eâ formâ, quam tabella repræſentat: at ipſis Idibus Quint. Muſcam enitebatur; quæ ſimulàc partu erat edita, ſpatio octavæ partis horæ altero tanto fiebat major, atque primùm fuerat, & quatriduum alimento deſtituta vixit. Huic vero vermi ob eam, quam exercet hypocriſin, & vafritiem,

κανκείτης, ſeu Simulatoris nomen feci.

Exigua hæc Animalcula *ſunt numeroſa* Cimicum *progenies.*

NUM. CXXXVI.

FUngi, à funere, uti quidem volunt, nomen ſortiti, eò quòd veſcentibus periculoſi ſint, & funera minentur, quos Plinius iis, quæ temerè manduntur, accenſet, Belgis *Duivels-brood*, aut *Padde-ſtoelen* dicti, quid ſint notum eſt omni populo: Quod autem ex iis putrefactis naſci expertus ſim, jam commemorare fert animus.

Propridiè Cal Sept. Unicum hujuſmodi germen, jam maturum terrâ evulſi, & vitro ſuppoſitum in terræ pavimento Soli expoſui. Poſtero autè die exiguis ille fungus ſcatebat vermibus nigris; aſt iii. Id. menſis dicti maxima ejus pars in

aquam nigricantem, atramento concolorem, versa fuerat, exceptâ eâ parte, quam Belgæ *de stoel* sedem vocant, & radice: in impurâ hâc aquâ offendebam, & numerabam vivos lxiii numero vermiculos: qui postridiè se ad transmutationem accingebant; ac septiduo post, iv. Id. ejusdem mensis, in vivas omnes conversi erant muscas, admodùm veloces, & agiles, capite rubras & reliquo corpore planè nigras: harum nonnullæ eleganti erant colore, & ab utroque latere dependentem habebant exiguum malleolum, quo se excitabant, eo pulsantes corpusculum: utì bestiolæ exiguæ, de quibus egi suprà, Bombylios, siquidèm somnolenti sunt, excitare solent, ità & hæ seipsas hujus malleoli beneficio excitant.

Harum quædam nigræ erant capite:

capite: at unica alterius erat coloris ab aliis, & cæteris corpuſculi majoris, quam idcircò conjiciebam eſſe Regem, ſiquidèm & prima prodierat. Haſce diu, ſi lubet, licebit vivas conſervare, ope dulcati humoris. Expertus loquor (ut, quæ dico, omnia) quamplurimas enim alui à iv. Id. Sept. ad ix. Cal. Januar. anni poſteri; & facilè diutiùs ſervare potuiſſem, ſi quicquam ex earum ſuſtentatione utilitatis ſperare licuiſſet; ſed, quoniàm nihil indè commodi ad me rediturum prævidebam, eas lubens inediâ ſinebam interire.

NUM. CXXXVII.

SAlicum aliarumque arborum ramuſculis ſæpenumerò inſidentes, aut ab iis pendentes videre datur virides colore quaſdam beſtiolas,

ſtiolas, atque adeò cute teneras, ut paulatìm fricatæ, aut manu, aliove inſtrumento duriuſculè attactæ, veluti pediculi papyracei, confeſtìm rumpantur; adeò ut, ſicutì ex his, utpote ſubpallidis, pallidus, ità ex illis, ſiquidèm colore ſunt virides, viridis humor effluat. Naſcuntur illæ ex humore quodam, quem formicæ in antè dicta virgulta excernunt, quique Solis calore fotus in viva hæc exit animalcula, non levem iis inferentia noxam: lignum enim corrumpunt, reticulum illi ſuperintexendo, ſub quo latitantes adoleſcunt, atque interim humorem omnem exugunt; adeò ut ramuſculi humore, qui ipſis debetur, ab hiſce beſtiolis privati, macilenti, & teneri, ac cortice nigri evadant, & ligno non ſuo ſimiles. Circum has, ubi teneræ ſunt, ac recèns, ità loqui liceat, excluſæ, ſæpè

ſerpere,

ſerpere, eaſque mulcere, & mundare formicæ deprehenduntur.

Hæ jam adultæ, quemadmodùm unum alteri animal inimicum eſt, & ut piſcis piſcem deglutit, & homo hominem exedit, vermem hunc tabulâ delineatum ſibi inimicum habent, hiſce enim hic alitur; Imò hiſce ſe adeò improbè ſaburrat & prægravat, ut ſe vix movere poſſit; ſic ſatur, eo, quo ſe deponebat loco, quietus manet ad manè poſterum: tùnc autem, ubi heſternus cibus eſt digeſtus, reliquias devorare occipit, aut lautiorem campum, aliumque quæritat ramuſculum, cui plures ac illi, viridium harum beſtiarum inſident, illiſque denuò famelicum, ut anteà, explet ventriculum. Propterea illi, ut eum ab aliis diſtinguerem, τῦ λαφύκ]ε, ſive *Helluonis* nomen aſſignavi.

Transmutationi hic se dabat iv. Id. Jun. eo situ, atque formâ, quâ eum tabella exsculptum, & expictum offert; & in ejus statu permanebat dies noctesque viginti, adeò ut iii. Cal. Quint. hinc Musca prodierit, quæ, quod mirabile visu atque dictu, subitissimè in justam perfectamque excrescebat magnitudinem: namque post horæ quadranm à partu, non tantùm altero tanto major evaserat, ac fuerat primùm edita, quinimò altero tanto grandior erat, ac ovum, ex quo proruperat. Ubi hæc jam adoleverat in vivis conservavi jejunam, usque ad ipsas Non. Sextil. isthoc enim die fame sitive mortua est; siquidèm nihil à me objectum alimenti gustare avebat; neque nóram aut habebam, quid ipsi saperet.

NUM.

NUM. CXXXVIII.

VErmis hic, Num. 138. ad vivum delineatus plerunque verſatur in ſambucis: primùm eleganti colore eſt ſubalbido & flavo nempe, qui poſteà ſubniger evadit. Victitat nigris illis beſtiolis, quæ extremis Sambuci ramuſculis inſidentes ſæpenumerò reperiuntur: ſunt autem hæ formicarum progenies, natæ ex humido ſemine, à formicis extremitatibus Sambuci impoſito, & calore Solis foto, & ad maturitatem perducto, utì ex eo hæ beſtiolæ proveniant. His etiam continuò formicæ præſtò adſunt, ut eas adverſum vermem hunc tueantur: ſæpè etiam extenſis anterioribus pedibus illarum corpuſcula demulcent.

Scire aves, Lector, undenàm vermis

mis hic ſuam ducat originem? Reſponſum habe, provenire eum ex muſcâ ejuſmodi, qualem in tabulâ exculptam, & depictam videre eſt. Excretum illa ſuum ſemen in Sambuci frondes ſolet deponere: gnara jam verſari in illis antè dictas beſtiolas, ſoboli ſuæ natæ ceſſuras in alimentum, atque ex hoc ſemine, Solis calore jam ſatis foto, vermis hic exit.

Ubi hunc per xiii. dies debito ſibi alimento nutriêram, ab eſu deſiſtebat, non ſecùs ac ſuam occœpturus tranſmutationem, ſed biduo poſt, egregios hoſce, quibus ad vivum depictum eum vides, colores induebat; quo facto, beſtiolas nigras illas denuò occipiebat devorare, & demùm vi. Cal. Quintil. ſe ad tranſmutationem patiendam depoſuit, atque in eo permanebat ſtatu ad iii. Id. Quintil. dicti: quo die

muſcam

muſcam illi, quam Num. 130. deſcripſimus, apprimè ſimilem, ſed paulò majorem, & corpore anteriori flavam, enitebatur: vixit hæc jejuna uſque ad xvi. Cal. Sextil. & ſubſequentis præ alimenti penuriâ obiit.

Vermem hunc, ſiquidem ferè ſemper inſidiantibus obſervat oculis beſtiolas iſtas formicarum progeniem, diſcriminis ergò licebit nuncupare ὁ μέγαν ὀπίβυλον, ſive *majorem inſidiatorem.*

NUM. CXXXIX.

EXpictus à me tabulâ Num. 139. vermis rarò invenitur, ſiquidem ferè ſemper latitat in fundis lapidoſis, & humidis: quandoque tamen in hortis graſſatur: conqueruntur enim hortulani aliquandò non levem herbis hunc inferre

ferre noxam; nec admodùm facilis captu eſt: novit enim callidus ſub terrâ ſe occultare, aut aliquem perſentiſcens motum aut agitationem confeſtìm in illam irrepere: omnis generis herbis veſcitur, earumque radices exedit: vorax admodùm eſt, atque vix ſaturando: uſque adeò ſe ſaburrat, ut pranſus altero tantò videatur craſſior ac obeſior, atque impranſus ac jejunus, omnes ferè herbas ſolet lædere; & difficultèr admodùm extirpari poteſt; ità callidus atque aſtutus eſt, ut nunquam ferè totus extra terram emineat, ſed capite ſolummodò, quod confeſtìm novit introrò trahere, ad minimum, quem ſentit, auditve ſtrepitum extemplò ſe proripit, & ſe abdit in latibulum: neque capiendo eſt, nec exturbando, niſi beneficio ligonis: probè etiam ipſi perſpectum eſſe videtur, ipſum inviſum

viſum eſſe & exoſum hominibus, quocircà eos, veluti mortem, horret.

Captum hunc vitro, terrâ repleto, indidi & aprico aëri expoſui, in loco moderatè calido à calore Solis, atque ei de alimento in eſcam, & humore in potum proſpexi. Hoc in vitro ſeſe ad tranſmutationem compoſuit, eo ſitu, quo eum in tabulâ expictum conſpicis, iv. Cal. Jun. & vii. Cal. Quintil. ſubſequentis in lucem edidit animalculum duabus alis, & ſex pedibus longis inſtructum, cui ſimile nunquàm alio à quoquam, imò ne a pueris, appellari nomine audivi, quàm *Nayer*, ſeu Sartoris; quam ob rationem veſtro, Lectores, judicio permiſſum eſto.

Sartores enim hi admodùm ſunt calidi, & ſalaces. Decuplo quidèm plures numero maſculos invenire eſt

eſt hujus generis, quàm fæmellas, quod mirandum eſt. Hoc etiam experiemini, ſi animadvertitis utì ego hiſce oculis ſæpè vidi, ubi maſculus cum fæmellâ coit, plerunque quinque vel ſex maſculos circumvolitare ultrò citróque, quorum ſinguli ſuas coëundi vices præſtolantur, & priores captare moliuntur & ſatagunt. Cui autem primæ dantur vices ſe cum fæmellâ miſcendi, is ei per biduum continuum affixus manet; & ſolutus maſculus, non admodùm diu pòſt moritur; ſed ſuperſtes fæmella manet. Ubi verò fæmellæ ſemen, & quod concepit, jam excernendo maturum factum eſt, poſtremum illa corpus terræ infigit, atque ſemen in eâ deponit, ex quo noxium hoc animal, bruchus hic, ducit originem; qui non, niſi quùm tres jam habet annos progignendæ Sartorum ſoboli aptus eſt.

Digna

Digna hæc obſervatione, & admiratione res eſt, utpote benignæ Providentiæ Divinæ ſtupendum miraculum. Deus enim, quò noxium hunc vermem refrænet & cohibeat, ne citò ſuam propaget progeniem, non niſi jam trimum propagationi facit idoneum; & multò plures maſculos quàm fæmellas eum ſinit progignere: alioqui enim hi vermes brevi temporis ſpatio ità numero creſcerent, ut nihil ſuprà. Uſque adeò bonus eſt Deus, & φιλάνθρωπος. Grati, quæſo, agnoſcite, & deprædicate.

Muſcæ *hæ*, perlongis pedibus *inſtructæ*, *à Noſtratibus* Tympaniſtæ (*Angl.* Drummers) *vulgò vocitantur. Notandum eſt, eas ova deponere* coloris violacei, *ſaltem omnes earum* Species, *quas unquam hactenus mihi licuit videre, & quinas minimùm ſpecies ipſe apud* Angliam *noſtram conſpexi.*

De Culicum *Origine.*

Hoc eſt etiam novum Muſcarum Genus.

NUM. CXL.

MAgnâ diligentiâ quæſivi quænam eſſet & ex quo principio culicum generatio. Fui aliquamdiu in eâ opinione, quòd ex rore cœli ſuam traherent originem, quia frequentèr eos magnâque copiâ reperi manè ſub foliis herbarum arborumque; ſed poſteà animadverti, eos ibi circa veſperam congregari, ac latere, ut ſe à nocturni frigoris injuriâ tueantur.

Obſervavi porrò magno numero confluere culices intra ciſternas, atque imprimis jam hyeme urgente

te atque initio menſis Decembris; eò enim ſemen ſuum conferunt, & quidem eo modo, quem propriâ atque aliquoties repetitâ experientiâ annotavi. Solent enim primùm ſuperficiei aquarum pluvialium ciſternis contentarum inſidere, & deorſum corporis poſteriore parte inclinatâ, ſemen excernere, illud vero ſemen ita dejectum illicò fundum petit, atque tractu aliquo temporis interveniente, in vermiculos rubros & ſanguineos quaſi convertitur.

Vermiculi illi ſanguinei nutriuntur exiguis quibuſdam animalculis in aquis fluitantibus, quæ pediculos aqueos nominare conſuevi, quia eandem propè cum papyraceis pediculis formam habent. Morantur autem ibi tempus undecim menſium, atque ex ſucco proprio, calcis particulis commixto, ſibi cellulas exiguas conficiunt, in quibus

contra externum frigus ſe abſcondunt. Sed inſtante nunc naturalis transformationis tempore, magno numero conveniunt,& junctis omnium capitulis, poſterioribus corporum partibus diu multúmque hinc inde agitantur, magnumque excitant aquæ motum, quo motu produci atque colligi obſervavi ingentem ſucci cujuſdam pituitoſi & tenacis copiam, in quâ ſe ad ſubeundam appropinquantem jam Metamorphôſin componunt. Trigeſimo Junii & decimo-tertio die Julii annotavi ex prædicto ſucco plurimos culices provolantes. Maſculi in capite leviſſimas plumas gerunt non autem fœmellæ, ſed ſeminis copiâ turgent; neque tam vehementèr, ac maſculi, cutem noſtram compungere aut penetrare valent.

Quemadmodùm culices oriuntur

tur ex ſanguineis vermiculis, ita quoque ſanguinem atque imprimis humanum, magno impetu appetunt. Eum in finem multo dolo & artificio, circa veſperam ædes noſtros ingrediuntur, etiàm per caminos aliaque occulta loca, ſi oſtia feneſtraſque occluſas inveniant; deindè, ſpicula ſua, quibus pungunt, inferunt poris cutis noſtræ, ubi apertam inveniunt viam ad ſanguinem, quo maximè delectantur, exſugendum. Eum quippè attrahunt ſpiculis acutis admodùm ac ſubtilibus, ex tribus quaſi tenuibus pilis contextis, ſed intùs concavis & ad exſugendum, ſurſumque attrahendum ſanguinem, adaptatis.

Aliquotiès obſervavi culicem benè ſaturum ac ſanguine repletum, à cute noſtrâ non recedere niſi priùs guttâ aquæ ex corpore ſuo rejectâ, quam ego conjicio ſe-

rum esse, quod, antè massæ sanguineæ commixtum, tam brevi tempore ab eâ separatur & tanquàm excrementum rejicitur. Quando culices primùm nati ex fundis cisternarum ascendunt, albi sunt, videnturque alis ac pedibus carere; sed spatio quadrantis horæ apparent, solentque tam diu lateribus sive muris cisternarum adhærere, donec alæ jam satis expansæ, duræ, atque ad volatum idoneæ reddantur.

At objiciet aliquis, quo modo ego tam accuratè observare potuerim, quid culices agant in fundis cisternarum? Cui respondeo, me hæc omnia observâsse in vase vitreo, eum in finem confecto, cui imposui omnia quæ in cisternis reperiri solent, nempè calcem, lapillos, terram, & aquam pluvialem, quibus antè descriptos vermiculos rubros imposui.

impoſui. Coactus quoque fui vitreum illud vas in loco frigido collocare, aquam quoque & aërem recentem ſæpè admittere atque renovare. Nam experientia me docuit, vermiculos illos, defectu ſufficientis frigoris aut recentis & benè temperati aëris, facilè omnes commori. Beneficio igitur hujus vaſis vitrei & pellucidi, quotidiè & diligenter obſervavi atque annotavi quid in eo quovis die fieret, qualeſque ibi mutationes contingerent.

SECT. IX.

De Millepedibus.

NUM. CXLI.

COgitanti mihi pridem, an non aliquid vivi ex ossibus demortuorum, atque medullâ in iis contentâ, quæ simul in terrâ putrefiunt, nasceretur, & quidnam, visum fuit maximum & longissimum totius corporis sumere *os femoris*, Anatomicis dictum, quod inter omnia medullæ plurimum in cavitate suâ continet; & numero quidem tria. Unius ex hisce extremitatibus ambis serrâ defectis, cavitatem terrâ, & terram vermibus

bus refertam inveni, quorum aliquos exculptos & expictos in tabulâ repræſentavi, ſed paulò majores ac vivi erant, ut eorum tibi formam & ſitum paulò accuratiùs ac commodiùs conſpiciendum darem. Terram hanc unà cum vermiculis in vitream immiſi lagenam, quos inter quidam erant, qui repere occipiebant, cæteri autem in orbem convoluti, uti rudentes ſive funes nautici jacent in navibus & navigiis; ſed per unicum duntaxàt diem vivos retinui; poſtero enim die intermoriebantur omnes ad unum, proculdubiò ex frigidi aëris inclementiâ, quam tolerare non poterant. Dies enim erat hyemalis, nempe v. Calend. Mart. quo eos oſſi eximebam.

Deinde alterius oſſis dicti partes extremas ſerrulâ deſectum ibam, & interius illud partìm atrâ terrâ,

& partìm materiâ, calcis ad inſtar, candenti plenum deprehendi: pars autem, calce referta, erat inferior, quæ cum tibiâ per γιγγλυμὸν articulata fuerat: ſcatebat & hæc vermiculis colore cæruleis, canis, & ſubflavis, atque rubicantibus notis, ſive maculis diſtinctis, exteriùs veluti argentum fulgentibus, at interiùs terrâ plenis; horum unus cxii. pedes habebat. Vermi huic nomen τῷ μηριαίῳ, q. d. *femorali* dedi.

Tertium femorale os, inapertum curavi in terram, ex quâ id exemptum erat, deferri; ſiquidèm nulla mihi ſpes affulgebat, aliquid in eo obſervatione dignum inveniendi; & vermes in eo contenti hyberni frigoris erant impatientes.

Univerſa hæc Authoris Hiſtoria *falſo fundamento nititur; exiſtimat enim* Millepedes *hos (quos omnes effigiatos exhibuit Tab.* 141.) *ab oſſe hominis Femorali natos*

eſſe,

esse, cùm reverâ illic solùm innidulati sint, sæviente hyeme: Totus hic Discursus *est* ἀπροσδίονυσος, *nec recitatu dignus.*

NUM. CXLII.

PRæter id, quod Num. 136. de fungis me comperisse significavi, vidi insupèr, ubi antè dicti vermiculi in muscas transmutati erant, & aquam, unde prodierant, Soli exponebam, eam fuisse refertam admodùm exiguis animalculis, & se moventibus atque idcircò vivis; quæ postquàm aciculæ beneficio aquâ exemeram, & tubulo Optico, visui res majores ac reverâ sunt, exhibenti, imposueram, animadverti ea esse exiles valdè serpentes seu angues, & quidem innumeros atque adeò velocitèr rependo se commiscere, ut non forent numerando.

Multos ex hisce alui biennium, &

& deprehendi nigris quoſdam in in corpuſculo maculis, alios viridibus, nonnullis verò fuſcis diſtinctos: At maximus eorum, quos alui, & vidi, illius erat magnitudinis, & formæ, atque fuſcis variegatus maculis, quibus eum in tabulâ delineatum videre eſt. Celer admodùm & agilis hic erat; namque ſimulàc in terram demiſeram, in eam irrepebat, illumque amiſiſſem, niſi confeſtìm, exigui ligonis, qui ad manum erat, beneficio eruiſſem.

Anguiculum hunc, vitro inditum terrâ & aquâ repleto, diu ſuſtentavi, ſed tándem præ nimio calore, & aquæ defectu, quod valdè dolebam, & dolebo diu, interiit: ſiquidèm diu nutrieram: quocircà multos hoc genus etiamnùm de anno in annum domi meæ alo, omnem educandis iis navans

operam,

operam, ut animo meo, naturæ miracula cognoſcendi cupido, obſequar, eorum, quæ comperire dabitur, φιλεισθμοσι, Deo volente, facturus copiam.

SECT.

SECT. X.

De Araneis.

NUM. CXLIII.

DEnique in antè dictâ materiâ, ex quâ muſcæ & anguiculi prodierant, vidi inſuper & inveni Cryſtallorum quoddam genus, arenulis formâ ſimilium. Accreſcebant autem iis pedes, ſensìm evadebant majores, donèc triennii ſpatio adulti eam conſequebantur formam, quam habet aranea in tabulâ delineata.

E fungis ab radicibus populi arboris pullulantibus aliud naſci ſolet aranearum genus, formâ oblongum,

gum, colore flavum, & graveolentum.

E putrefactis fungis alia prodire ſolet aranearum progenies, & rubicunda quidem: è terrâ & aliud genus fungorum ſolet ſurgere, quod primùm quidem clauſum ſeſe oculis exhibet; ſed altero die apertum conſpicitur, & tunc forma ſua fungum repræſentat, & patellam ſive domunculam orbicularem, illi conſimilem putamini, ex quo glans quercinus exemptus eſt. In hâc patellâ quinque rotunda ſeminum grana invenire eſt, ejuſdem cum ſemine raphani magnitudinis, ſed adinſtar Cryſtalli pellucida. Poſteà hæc grana è patellâ aut in terræ ſuperficiem aut in ejus rimas, ſeu fiſſuras delapſa, Solis calore foventur, uſque dùm viviſcunt; deinde pedes, atque juſtam triennii ſpatio magnitudinem nanciſcuntur. Hæc

omnia

omnia bis, annis duobus conſequentibus, expertus ſum.

Verſari gaudent hæ araneæ circa Meliſſam herbam, & ſub ejus umbrâ æſtivo tempore: aſt hyberno latitant, aut in lapideorum parietum, aut in ligneorum ſepimentorum fiſſuris.

Priùs commemoratum araneārum genus, quod è fungis, quos multi habent in deliciis, ducit originem, pedes habet longos: illaſque in ortu, progreſſu, & incremento, atque perfectione ſua exiſtentes exhibemus ad numeros, 1, 2, 3, 4.

Cifra enim 1. eas primùm exortas; 2. ſemeſtre ſpatium excluſas; 3. bimulas; 4. trimulas, & adultas repræſentat, eamque magnitudinem conſecutas, quam retinent, donec naturali, aut violentâ morte pereant.

Has

Has araneas rarò admodùm parietum ſuperficiei planæ affixas invenire eſt; aſt ferè ſemper fiſſuris inſectas, ſed ità ut pedes exertos parietibus affigant; atque eum in finem, meâ quidem ſententiâ, ſiquidem è parietibus introrsùs humor promanare ſolet, captant eum pedibus: illo autem imbutos pedes omnes, ſed anteriores primùm, & deinde alios ori admovent, beneficio geminorum, quos geſtant circa os, forcipum; admotuſque jam ori pedes unumquemque alterius vicini pedis ope verrunt per os, atque ità adhærentem ſingulis pedibus humorem nitroſum ablingunt, quo, ut alimento, victitant.

Interdiù hæ araneæ ſolent quieſcere, niſi abigas, at noctu ſe invicèm luſu oblectare, tunc etenìm ſæpè altera alterius captare pedes conſpicitur, & apprehenſam in ter-

ram

ram dejicere; ſic autem ludentes ſe invicem non lædunt; cadentes enim, ſiquidem longipedes, in extenſos labuntur pedes, uti feles. Præcipites datæ, confeſtim reſurgunt; & diductis cruribus, graduque grallatorio in parietem aſcendunt: atque hunc ſæpè ſimul ludum ſolent ludere.

Frequentèr etiam ità dimicant, ut ſe invicem conficiant: ſunt etenim teneræ adeò, ut interimantur facilè: atque hoc iis probè perſpectum eſt, ex naturæ inſtinctu; propterea contractis, & utrique lateri affixis pedibus, immotæ ſedentes ſe tuentur: tùm enim earum corpora pedibus, uti caſtra palis, circumquâque munita, & adverſus aggreſſuras araneas, ipſis fortaſsè viribus prævalentes, tuta conſiſtunt: hoc ſitu altera nequit alteram unico aggreſſu vincere. Quid tùm agunt,

agunt, inquies? Validiores mirâ dexteritate imbecilliorum pedes ſuis illaqueant, eoſque ſic conſtrictos tenent, non ſecùs ac capreoli, ſeu cincinni quos in vitibus videre eſt, ſe intorquent circum pampinos in orbem, eoſque complectuntur; ubi autem illæ harum pedes arcuatis ſuis ſic illaqueatos tenent, eos abrumpunt, alterum poſt alterum, nec deſiſtunt, uſque dum quatuor aut quinque decerpſerint; hoc facto in corpus inſultant, illudque mordicùs apprehenſum, & apertum exugunt, nihil facientes reliqui, niſi cutem exanguem, & exuccam, pedeſque reliquos.

Unicam de genere hoc Araneārum diu alui aquâ Saliſpetr. & calce miſtis: erat hæc admodùm atrox: omnes omninò, quas ei objiciebam, araneas vincebat; licèt inter eas offenderet, quæ ipſi multum

tum faceſſebant negotii, & vix expediendæ ſalutis creabant periculum; quaſdam enim non niſi difficulter admodum ſuperabat; tandem omnium victor remanebat, uti *Alexander Magnus*, & quidem xxx. numero Aranearum; quas illi, aliam poſt aliam porrexeram. Duas etiam ipſi appoſueram teſtulas, in unam cibo, & in alteram potu immiſſo; ſed in unam inferebat pedes, & exucca Aranearum à ſe devictarum cadavera: comeſtis his Araneis incraſſeſcebat, & nigrum inducbat colorem; tandémque interibat, proculdubiò, ex abundantiâ ſuccorum ex araneis exuctorum, & devoratarum fortaſſe carnium.

Prætereà aquam, quæ è fungis putrefactis emanârat, & inſuper aliquantum fungorum putrefactorum, immiſi in vaſculum Porcellanum Indicum; illudque in verſo vi-

tro

tro probè clauſum Soli expoſui; ſed vitrum tollere aliquandò volens, deprehendi id ità firmiter agglutinatum vaſculo, & contentæ in eo materiei, ut ſimul vaſculum in altum ſuſtulerim: uſque adeò apprimè tenax viſcus ſive glutinum his ineſt cupediis.

NUM. CXLIV.

VErmis Num. 144. admiratione digniſſimus eſt, quem cepi tertiâ die Aprilis 1658. nunquam potui (licèt ſummâ adhibitâ diligentiâ) obſervare, an quicquam ederet aut biberet. Non potui quoque (quamvis accuratiſſimè omnia inveſtigans) animadvertere, an oculos haberet, aut corporis aliquam aperturam, quâ aut alimentum aſſumeret, aut excrementa ejiceret. Pedibus caret, ſemper immotus quieſcit, magiſq; frigore gaudet quàm

calore: nam à me radiis ſolaribus expoſitus, ſtatim umbram & latibulum quærebat, poſteáque ſe amplius non commovebat.

Aliquoties corpus ejus convertebam, adeò ut dorſo ſuo incumberet, ſed ſtatim in orbem contracto corpore, priſtinum habitum ſervabat, ut in figurâ Num. 144. repræſentavi. Habui vermem hunc vivum domi meæ à iii. Aprilis 1658. uſq; ad xxviii. Auguſti anni ſequentis 1659. ſine ullo alimento, eoque die mortuus eſt. Deinde, notatu dignum eſt, juxta hunc vermem continuò vixiſſe beſtiolas tres albas, minores vulgari arenulâ, quæ perpetuò aut alvo aut dorſo vermis adhærebant, atq; hâc ratione vixerunt menſes novem, ſine ullo alimento, quod obſervare potui. Tandem duo ex hiſce beſtiolis ſuper capite & tertius ſuper dorſo vermis interierunt.

FINIS.


1.


2.

3.


4

5


6.

7


8


9


10.


11.


12.

13.

Tabula I



Tabula X









APPENDICIS
AD
HISTORIÆ
ANIMALIUM ANGLIÆ,
Tres Tractatus, &c.

Altera Editio, auctior & emendatior.

Prima laus eſt humanæ ſapientiæ, valde Similia poſſe diſtinguere. Ariſtot.

LONDINI,
Excudebat *R. E.* ſumptibus *S. Smith* ad Inſignia Principis in Cœmeterio D. *Pauli*. 1685.

LECTORI S.

IN mediis morbis ipſe verſor; qui admodùm valetudinarius ſum; mihi autem in his exercitiis periculoſis occupato interdum occurrunt quædam in rerum naturâ nova: atque hæc equidem animi & delectationis cauſâ obiter notare ſoleo, & poſteris libenter indicarem: at infirmo feſtinandum eſt, atque ea Appendicis ratio eſt. Deinde non nulla in ipſo libro, non ita pridem à me edito, Emendanda ſunt. Hæc autem cùm ſemel animadverti, nolo alicui fraudi ſint. His adde, ſi eadem elegantia, & præclari Artificis ſtudium in univerſis Figuris, olim exhibita fuiſſet, ac quæ in his Tabulis, cum Appendice jam nunc editis eximia eſt, de verbis minùs ſolicitus eſſem.

eſſem. Siquidem in picturis venuſtis, certè Hiſtoriam Naturalem quod attinet, præcipua doctrina & magna eruditio eſt.

Hujus autem Opuſculi calci adjiciuntur VII *Tabulæ æneæ: quarum tres priores privatiùs ad hanc alteram Appendicis Editionem pertinent, atque adeò explicantur: Reliquæ quatuor, quæ Scarabæos Angliæ repræſentant, in præſentiarum obmuteſcunt, niſi quatenus ipſæ elegantiſſimæ picturæ loquantur; certè omnium Figuræ optimi artificis manu ad vivum delineatæ, & ex aqua forti ab ipſo confectæ ſunt.*

DE

DE ARANEIS,

Addenda & Emendanda.

Pag. 2. *ad lineam* 11.) Araneus dividitur in duo maxima ſegmenta, quæ Thorax & Venter ſunt, ex horum mediâ commiſſurâ, exurgit Genitale, cum articulo uno intortum, nigricans, & formâ referens muſcæ aculeum. *Severin. Zootomia.* Caput autem ipſi Thoraci haud ullâ notabili commiſſurâ, in omnigenis araneis inſeritur.

Pag. 4. *l.* 12.) adde, Quantum ſcio.

Pag. 6. *l.* 15.) Mares autem plerique,

rique, etiam è retiariis, ferè venatórii ſunt.

Pag. 18. *l.* 14.) Tela aranei impoſita ſanguinem ſiſtit; vulnera, quæ ſummam cutem occuparent, ab inflammationis injuria vindicat. *Dioſc.*

Pag. 29. *l.* 14.) Lege, caudâ ferè, nigris, &c. id autem verbum ex propriâ obſervatione, non addo, nam in nullo, quantum vidi, ea puncta defuerunt, ſed illam exceptionem pono ex monitu D. *Ray* viri his rebus peritiſſimi.

Pag. 37. *l.* 7.) Supra quos retia aliquando tranſverſim, &c. *Ibid. l.* 8.) Item *ibid.* à Maio menſe, id genus Inſectorum quod à quibuſdam *Libellæ* nominantur, in reticulis conficiunt.

Pag. 42. *l.* 24.) Araneus Colceſtrenſis Pennii apud Mouſetum.

Pag. 44. *l.* 12.) Hic, an proximè ſuperior, omnium, &c. *Pag.*

Pag. 82. *l.* 15.) Hunc tamen in Geniſtâ Spinoſâ, Julio exeunte, etiam circa Eboracum, ſatis frequentèr inveni.

Pag. 87. *l.* 5.) An Vivipari? quod valdè ſuſpicor.

Pag. 95.) De Araneorum binoculorum ortu aliquid, at valdè imperfectum, legimus apud Goedartium Batavum. Exp. 49. Pars 2. Editione Latinâ.

Pag. 89. *l.* 13.) Imò medio Julio, ſcilicet quaſi jamjam natos: item exeunte Maio, admodùm graveſcunt.

Pag. 47. *l.* 29.) 6. Ille parit Maio, hic Auguſto exeunte.

DE

Cochleis in Genere,

Addenda & emendanda.

PAg. 104. *l.* 3.) Intorquetur, huic rei fidem facit illud Experimentum; ſcilicet, ſi levitèr tantum turbinem coquas, integra caro è teſta facilè educitur: at id multo difficilius fit è muſculo aut oſtreo cocto.

Pag. 108. *l.* 18.) Terreſtres Cochleæ ſtomacho utiles ſunt, & non facilè corrumpuntur, *Dioſc.* de medicamento quodam eximio è Cochleâ terreſtri ad dolorem Colicum, vide apud Scribon. Largum.

Idem: Crematæ omnium Cochlearum teſtæ, calefaciendi & urendi naturam, ſortiuntur. Item, *Limaces ſine Teſtis* in uſu ſunt in Cataplaſmatis ad maturandum & rumpendum apoſtema. Item, eorum caro ad clavos pedum faciliùs tollendos adhibetur.

De Limace nigro, adde), Me ejus generis puſillos, ad magnitudinem fabæ equinæ, ad exitum Octobris inveniſſe.

Pag. 128. Lapillum exemi.) Os Polypi notum ex figura ex ipſiſſimo genere eſt, quo os ſive lapillus Limacis.

Limaces Græci omnes quotidiè mandunt, carnem quidem duram habentes, eóque concoctu difficilem, ſed quæ confecta potentiſſimè nutriat. Succus autem ipſe ineſt, qui ventrem ſubducit: quemadmodùm & iis, quibus *Teſta* pro

cute eſt. Quapropter quidem oleo, garo, vinóque ipſos condientes, eo juſculo ad alvum dejiciendam utuntur. Hujus porrò animalis caro bis térque elixa, conditáque alvum ſiſtit, alimentúmque dat corpori minimè contemnendum. *Galenus de Aliment. lib.* 3.

Proximè poſt Titulum XVII. *hunc novum Limacem inſere.*

TITULUS.

Limax quartus, ſubrufus, montanus.

Deſcriptio. IS magnitudine reliquiſque notis proximè ſuperiori par & ſimilis eſt. At hujus color ex toto differt, ſiquidem rufus eſt, ſive ex fuſco ruber: Ipſe venter flaveſcit, idem puta de minimis

nimis, maximisque, sub palliolo calculum non inveni.

Hi Limaces admodùm frequentes sunt circa *Amberry* regionis montosæ agri Eboracensis: atros Limaces ibidem quoque inveni; sed paucos quidem præ rufis jam descriptis. In collibus excelsis & herbaceis supra Urbem Normandiæ maritimam *Diepe* dictam Limacem quendam rufum copiosissimè invenimus, illi valdè similem, quem supra descripsimus; At his universis erat limbus croceus, nigris striis distinctus; Fortè nostris idem elegans limbus non deest, at à me, fateor, adhuc minimè observatus est; item ex his alii magis nigricant, alii magis ex croceo rufescunt, ex his verò maximi pendebant sex drachmas. *Locus.*

Nolo hìc oblivisci ejus ingentis Limacis rufi, quem mediis lucis

Horti Regii ad ædes *Verſallienſes* in Gallia medio Auguſto nuper vidi, is in rependo, ſcilicet corpore in longitudinem exerto, ſex digitos minimùm implevit, cui corporis etiam craſſities ex proportione reſpondebat, ejus color ex aureo paululùm nigricante eleganter rufeſcebat. Diſſecto ejus cuculſo, nullum omnino calculum inveni; adeóq; à noſtris nigris planè alia ſpecies eſt.

Pag. 135. *l.* 7.) Cochlea fluviatilis virus olet. *Dioſc.*

Pag. 144. *l.* 15.) Novis experimentis captis, illum humorem coccineum ex ipſo ano excerni ſuſpicor, ſiquidem hujus, ſicut aliarum cochlearum, anus ad dextram colli aperitur, &, ni fallor, ab eo ſemper latere primùm ſe oſtendit Coccum, ſi aciculâ leviter pungatur beſtiola.

Pag. 146.) Caput de muſculis fluviatilibus ex toto reſtituendum eſt:

eſt: ſiquidem, magnâ diligentiâ adhibitâ, jam horum ſex ſpecies in aquis noſtris dulcibus, repertas eſſe agnoſco.

CAP. I.

De Muſculis Aquæ dulcis.

TITULUS XXIX.

Muſculus latus maximus, teſtâ admodum tenui, ex fuſco virideſcens, paluſtris.

CHamæglycimeridi ſimilis, ſed majoris Mituli ſpecies: *Aldrov.* de Teſtaceis, *l.* 3. *p.* 472. ubi etiam figuram admodùm ſimilem videbis.

An Chamaglycimeris Margaritifera Velſciri. *Ephemerid. German. Anni* 3. *Obſervat.* 36. Ei

Descr. Ei latitudo ferè ad duas Uncias & dimidium, longitudo quinqueuncialis est, alios habui ad quinque uncias, & dimidium longos; horum tamen testa & tenuis, & levis est: siquidem binæ testæ, sive valvæ alicujus è maximis hujus generis musculis, ab omni carne purgatæ, tantùm scrupulum unum supra quinque drachmas pendebant. Testa quodammodo pellucida est & extra levitèr viresçit: ex internâ verò parte ex argento resplendet. Umbo ex internâ parte, ubi valvæ conjunguntur, parùm aut nihil eminet ullo conspicuo denticulo, aut pinnâ.

Ipsius piscis caro subrufa est.

Hi Musculi rarò extra paludes, aut in fluviis inveniuntur; at in plerisque paludibus nostris copiosissimè, ut in lacu *Semoore Mar* dicto, in *Pottery Carr* juxta Doncaster;

ſter; item juxta *Sawterforth* agri Cravenenſis, & alibi agri Eboracenſis.

In vetuſtioribus aliquibus Teſtarum interna pars aſpera & inequalis eſt, velut verruculis quibuſdam diſtincta, ad magnitudinem papaveris ſeminum. Harum autem Verrucarum nonnullæ, vel levitèr tactæ, decidunt, at pleræque teſtis admodùm firmitèr adhærent: hæc ſanè teſtarum vitia ſunt: an vero eædem Margaritæ habendæ ſunt, alii judicent.

Illud autem à Plinio proditum eſt, uniones reperiri ſolere rufos, & parvos in conchis, quas Myas appellant: recentiores multi idem confirmant. Ita Velſcius, loco ſuprà citato, de quibuſdam Muſculis lacuſtribus; quos, ex figurâ depictâ, noſtros eſſe conjicio.

In lacu, inquit ille, non longè à Vienna

Vienna Auſtriæ, Muſculi pictorii ſunt, è quibus diſſectis Margaritas non paucas ipſi exemimus, quarum pars valvarum interiori ſuperficiei, ob id aſperæ, fixa eſt; pars ſponte exciderat, & in carne latebat: coloris tamen non albi, ſed ſubflavi, & ſubobſcuri, quem ſplendor quidam argenteus illuſtrabat.

See the Additional Notes of D. B. *Sir* H. Plot's *Jewel-houſe.*

E noſtris etiam Scriptoribus olim ſic quidam, Anonymus. Hi aliis Muſculis Fluviatilibus paulo minores ſunt, & magis nigricant. An intelligendum ſit de aliquo è ſequentibus. Ex iis in agro *Buckingamienſi* aliquot vidi: at in Fluvio *Clun* dicto agri *Salopienſis*, præcipuè abundant. Ex iis autem ipſe Margaritas exemi, illudque perpetuum eſſe didici; ſcilicet, eos tantum muſculos, Margaritas in ſe continere; qui extra inequales & aſperi,

aſperi, velut nodis interſtincti: læves rursùs illis omninò vacuos fuiſſe.

TIT. XXX.

Muſculus tenuis minor, latiuſculus.

Deſcr. HIc Muſculus tenuis quidem eſt; at ſuperiore multo craſſior ponderoſiorque: etiamſi longitudine tres digitos, & dimidium rarò excedat, latitudineque ferè duos impleat. Cætera admodùm ſimilis eſt, ut illum à ſuperiore vix diſtinguere licet.

Locus. Hos Muſculos copiosè invenimus in Fluviis *Ayer* & *Rible* dictis agri Cravenenſis: item in fluvio *Yure* juxta *Rippon*, & alibi.

In

In limo arenoſo ita ſe collocant. Valvarum cardines ſurſum ſpectant, earumque ore tenuiores intra limum profundè demittuntur, & ferè ex toto conduntur, exceptâ alterâ extremitatis obtuſioris exigua parte; at in eâ caput animalis; adeóque illa, valvis ſcilicet modicè diductis, ferè ſemper rimulam facit, quâ notâ eos expiſcari expeditum eſt.

Hi Muſculi cornici victui ſunt: quæ ut piſcem eximat, roſtro valvas tenues confringit: adeóque hæc Avis aquas frequentat, & à reliquis id genus avibus propterea ab aqua cognomen Anglicè accipit.

TIT. XXXI.

Muſculus niger, omnium craſſiſſima, & ponderoſiſſima Teſta, conchæ longæ ſpecies, Geſn. Aldrov.

HIc Muſculus 5. digitos & dimidium longitudine, tres verò latitudine, implet, integra teſta, à piſce purgata circitèr ſex uncias pendebat: Oſtreæ craſſitie comparandus eſt. Denticulus qui in cardine multùm eminet, lævis & acutus eſt, ad inſtar apicem alicujus canini dentis. In medio ferè ambitu adverſus cardinem ſinuatur, atque illa quidem eſt altera, & præcipua diſtinctionis nota. *Deſcr.*

In profundis voraginibus Fluvii *Tees* agri Eboracenſis, non longè à *Dinſdale*, rete aliquando expiſcatur. *Locus.* De

De hâc autem conchâ hæc habet Geſnerus, & ex illo eadem Aldrovandus tranſcripſit, de Aquatilibus, lib. v.

Conchæ longæ ſpecies, inquit ille, *etiam in dulcibus aquis reperitur: cujus teſtam alteram, parte ejus internâ expreſſam hìc exhibemus; alteràm non vidi, ſed binas ſimiles eſſe puto, & ginglymo articulari conjunctas. Superficies externa ſcabra eſt, quâ adempta, interior candicat, margaritiferæ conchæ inſtar. Et, ſi benè memini, in his etiam conchis, Margaritas exiles inveniri aiunt.*

De Margaritis aliquibus magni prætii in Muſculis quibuſdam fluviatilibus inventis, vide J. Sheffe-rum Hiſtoriæ Laplandicæ, cap. 36. Margaritæ in fluvio *Eſk* in Comitatu *Cumbriæ*. *Camden.*

T. I. XXXII.

Muſculus anguſtior, ex flavo ſeu viridi nigricans, cardinis pinnâ, ſive denticulo biſido, ſerrato.

HUic longitudo circiter uncias tres, & dimidium; latitudo ad unciam unam, & dimidium: atque hujus quidem menſuræ utraque Teſta, à piſce purgata, drachmas ſeptem & triginta quinque grana pendebant: hinc de craſſitie Teſtæ conjecturam facere licet. Color ex albo virideſcit, & ferè infuſcatur: ejus altera extremitas multùm ab umbone producitur. *Deſcr.*

Uterque verò Umbo ad Cardines acuti, & paululùm eminent, ipſi cardines ſinuoſi & velut pinnâ, ſive denticulo biſido & ſerrato donan-

tur : & jam cavitas interna ad cardines ſinuoſa & inæqualis eſt.

Ipſius Animalis caro paulò albidior eſt, quàm in aliquibus, è ſuperioribus.

Locus. Hi in Fluvio *Ouſe* & *Foſſe*, juxta Eboracum copiosè inveniuntur : item in Fluvio *Nid.*

Margaritæ. In his verò, ſicut in univerſis Muſculis noſtris, duo ſunt craſſa & valida ligamenta nervoſa, unâ atque alterâ concharum extremitate diſpoſita, per quæ ipſum Animal valvis ſuis adhæret, quibuſque mediantibus eas aperit, clauditque ; horum autem ipſorum ligamentorum Capitibus, quâ ſcilicet valvis adhærent, circiter xvi. Margaritas in uno muſculo inveni, à magnitudine papaveris, ad piperis grana, ex minutioribus verò aliquot fuere admodùm rotundæ ;

tundæ; cæteræ autem majuſculæ, aſperæ & inæquales.

Hæc ſanè ſeneſcentium Muſculorum vitia ſunt: nam in mediocribus multis diſſectis non unam quidem Margaritam inveni, adde quòd in imis ligamentis hæ Margaritæ, velut Thecis, diſpoſitæ fuerunt: non aliter, quàm calculi in renibus, aut aliàs in animalium ſanguineorum carne nati. In reliquo autem piſce nihil inveni: illud tibi manifeſtiùs patebit, ſi parùm coquantur muſculi, & non crudi diſſecantur.

Horum Muſculorum aliarumve Cochlearum teſtæ, ſi in acri lixivio coquantur; earum exteriores, & decolores membranæ ſeparari poſſint: primùm ſcilicet mollis & colorata membranula abſtergitur; deinde, alius cortex ex mediâ materiâ cretaceâ, abradendus eſt, ſub

quo Margaritarum ſplendor totam utrinque teſtam occupat.

Concharum ſic purgatarum pulvis, in uſu medico, ipſarum Margaritarum locum optimè, ut opinor, ſupplere poſſit : ſanè, quantùm ſcio, accommodatiſſimus eſt ad medicamenta quævis, in quibus requiruntur, vel ipſæ Margaritæ, vel oculi cancrorum dicti, vel ipſum corallium.

TIT. XXXIII.

Muſculus ex viridi pallidus, omnium Anguſtiſſimus, *cardinis altero denticulo, quaſi continuo, ſerrato.*

HIc Muſculus craſſiuſculus, & à proximè ſuperiore his notis præcipuè diſtinguitur, nam ei in multis valdè ſimilis eſt. 1. Hic ferè

ferè multò minor eſt. 2. Ex viridi palleſcit, cùm ille ſuperior ex viridi nigricat. 3. Hic multò Anguſtior eſt, ut cuivis patebit, ſi duæ teſtæ æqualis magnitudinis, hujus & illius, proximè ſuperioris Muſculi inter ſe diligentèr conferantur. 4. Hujus cardinis pinna, ſive denticulus in illo altero ſuperiore Muſculo quaſi bifidus; omnium ſanè certiſſima diſtinctionis nota: in utroque verò muſculo, idem denticulis ſerratis notatur.

Locus.

In iiſdem Fluminibus cum ſuperiore; at rarior eſt. Hic, & ſuperiores omnes Muſculi, ut ferunt, à Lutrâ expiſcantur.

TIT. XXXIV.

Muſculus exiguus, Piſi magnitudine, ſubrotundus.

Deſcr. EJus magnitudo ferè ad modum piſi alicujus vulgaris eſt, aliquando nucem mediocrem è corylo æquat. Utraque teſta intùs foràs, levis, tenuis, pellucida. Ei color ſubflavus ſive corneus, exceptis ejus extremis oris, quæ ſubalbeſcunt. Ejus figura ſubrotunda eſt, nam ſingulæ valvæ admodùm cavæ ſunt, & in dorſum multùm elatæ, & æqualitèr ab utrâque parte cardinum extenduntur, ſcilicet, qui ferè in mediis valvis poſiti ſunt, ut ad rotundam figuram proximè accedat.

Locus. In Aquis ſtagnantibus circa Eboracum copiosè inveniuntur,

niuntur: in foſſis autem Paludis, ſæpiùs nominatæ juxta *Doncaſter* duplo majores ſunt, quàm alibi.

DE

COCHLEIS MARINIS,

Addenda & Emendanda.

Pag. 105. *l.* 11.) Marina Cochlea ſtomacho idonea, & facilè alvo excernitur. *Dioſcorid.*

Ex teſtis marinis crematis fit calx, quæ arenâ miſta contra aquas, pluviamque, ut ferunt, admodùm durat, *ibid. lib.* 27. Ille proximè ſuperior aliquando, at hic piſcis admodùm frequentèr, æſtivis certè menſibus, piſcatorum hamis adhæret, & in litus vivus aſportatur, ejus caro ſublutea eſt.

Pag. 157. *l.* 15.) Dele *minimum.*

Lin. 27.) Atque ex his buccinis in litus Scarborgenſe plurima viva, à piſcatoribus, ab alto mari redeuntibus, rejecta collegi Junio, de ipſâ teſtâ illud inſuper notavi, ei tantùm eſſe octo ſpiras; idque mihi ſatis jam conſtat ex integerrimo Buccino vivo.

Hujus autem Animalis caro albiſſima eſt, ut nihil ſuprà. Cornicula brevia & acuminata; ad eorum verò radices maculæ quædam nigræ conſpiciuntur, nimirùm ſingulæ ad ſingula cornicula; quæ tamen verſus anteriorem eorum partem, collocantur: ubi autem reliquum corpus exerit, etiam roſtrum ſimul implet, neſcio quâ linguâ complicatâ, ab inferiore cervicis parte procedente, hujus autem uſum planè ignoro; certè pars corporis mollis eſt, & facilè cum reliquo introducitur. Acu

Acu foratus piſcis, minimè coloratum humorem aliquem emiſit.

Huic, ut reliquis Buccinis maritimis, operculum teſtaceum tenue eſt.

Pag. 158. *l.* 5.) *White Couvins* apud Scarborgenſes dicta.

Pag. 162. *l.* 5.) Huic piſci cornicula acuminata paululùm compreſſa, perinde ut in Buccinis fluviatilibus, ad corniculorum verò radices, eſt quod protuberat, ubi, putà, oculi ponuntur, dum repit animal, tota teſta ipſi operculo inſedit.

Hujus excrementa eſſe admodùm exigua notavi, teretia, oblonga, inſtar alicujus herbæ ſeminis, putà, Hyperici. Vide ſuprà, de *Cochleis Fluviatilibus*, ad Tit. xviii. Et confer.

Pag. 165.) Ad Neritas ferè accedit Nautilus.

" De

" De *Nautilo* autem ſic *Jo. Fau-*
" *conerus* Anglus ad C. Geſnerum.
" Ipſum, inquit ille, piſcem vidi
" in Anglia quem pro loci ac tem-
" poris opportunitate pingendum
" curavi,---- teſtam habet externâ
" parte ex fuſca rufeſcentem, inter-
" nam verò partem ita nitentem, &
" ſplendentem, ut cum Unionibus
" precioſiſſimis de coloris amœni-
" tate certare poſſet: multa quo-
" que habet in ipſa teſtæ carina Ta-
" bulata eodem colore nitentia. Ve-
" lum conſtat ex pelliculâ tenuiſſi-
" mâ, πλεκτάναι, ab utróque latere de-
" miſſæ, carneæ ſunt & molles, ut
" Polyporum cirrhi, reliqua corpo-
" ris pars confuſa erat, & indiſcreta,
" ut reliquorum teſtaceorum ge-
" nerum. Hæc Fauconerus apud
C. Geſnerum de Nautilo, lib. iv.

Huic autem Teſtæ tenuiſſimæ eminent plures ſulci ſive ſtriæ, è quibus

quibus aſperitates quædam ſunt ad ejus ambitum.

Pag. 169.) *Titulum* xviii. ſic reſtitue, *viz.*

Echinus ex alterâ parte planus, ex alterâ ſubſphæricus, purpuraſcens, aculeorum veſtigiis parùm eminentibus. Anglicè *a Sea-Urchin.*

Hi piſces, etiam crudi, veteribus eſculenti fuerunt, & in deliciis numerati. Id verò totum quod eſtur, imò quod continent, *Ova* vocatum eſt, cùm ſcilicet eorum caro in quinque æquales partes naturalitèr diviſa eſt.

Hi vivi capiuntur litore Scarborgenſi inter ſcopulos, ſcilicet magnis maris receſſibus.

Ipſum animal crudum & recens, demptis ſpinis, levitèr quidem purpuraſcit.

TIT.

TITULUS XIX.

Echinus minor anguloſus, ex utrâque parte compreſſus. Sea-Egg. *An Echinus Spatagus, ſive Briſſius.* Rondil. *apud* Geſn.

Deſcr. IS autem ſuperiore Echino multò minor eſt, ſcilicet quem ſeni ſeptemve digiti facilè circumambiunt. Huic Figura oblonga eſt, ex utrâque parte compreſſa, & ex alterâ paulò craſſior eſt: item huic, certè mortuo (nam vivum nondùm vidi) aculei albi, denſi, breves, tenuiſſimi, ubi os eſt, ibi Teſta paululùm prominet, nec rectà aperitur. Teſta verò ſpinulis nudata, duplici ſerie foraminulorum, & internodiis quibuſdam, ſinubuſque aut ſulcis admodùm venuſtè interſtinguitur, ipſius teſtæ ambitus

ambitus inæqualis eſt, quibuſdam angulis hìc & illìc eminentibus.

In ſinu *Philoenſi*, & alibi ad *Huntley* & *Hartlepool* agri Eboracenſis copiosè reperiuntur, poſt magnas maris procellas. *Locus.*

Pag. 170. *l.* 19.) adde, *Tenuis.*

Pag. 172. *l.* 18.) In proximè autem ſuperiore loco, *Hen-Ho Fiſh* audiunt, ex arenis, magnis maris receſſibus, maximè verno tempore, ſat copiosè effodiuntur: caro autem hujus piſcis edulis eſt, at minùs aliquibus placet. *Locus.*

Has conchas tandem vivas habui: earumque color naturalis eſt, qualis à me olim deſcriptus eſt. Ex alterâ parte Conchæ ingens velut Mentula (Pholadum inſtar) exeritur, rigida, aliquantulùm compreſſa; etiam cum maximè contrahitur & digitum pollicem craſſitie & longitudine excedit;

dit; totaque quanta eſt è Conchâ propendit. At illa non eadem pars eſt, quæ ita à me infrà vocatur in Solene. Ipſe anus biforatus eſſe videtur, ſive binis orificiis fimbriatis donatus, velut in Solene: an ad aquam recipiendam ejaculandamque, alterum; alterum, ad excrementa ejicienda. Hujus autem velut Mentulæ ſive Inteſtini recti exerti externa Membrana elegantèr cryſtallina eſt, at admodum rugoſa (nam pedalis eſt in plenâ extenſione) ut inde conjicere liceat, quàm longiſſimè ea pars ad libitum animalis extendi poſſit, iſta verò pellucida membrana nihil obſtat, quò minùs nobis non liquidò appareat, quàm venuſtè iſtud membrum, maximè ad extremam ejus partem, maculis ſubpurpureis interſtinguatur.

Pag. 172. *l.* 15.) Dele *cretaceum*, &

& adde *duriuſculum*, nam an verè cretaceus is lapis ſit, mihi nondum conſtat.

Ibid. l. 28.) Eoſdem & duriores quâvis cretâ lapides in portu *Scarborgenſi*, his Conchis foratos inveni.

Mihi autem diligentiùs ſaxum examinanti, in quo pholades inventi ſunt, id arenoſum quid eſſe putavi, imò illos in cretaceis rupibus marinis, à *Spiton* nominatis, invenire non potui, at melius inquirendum eſt. Ad litus, *Huntley* appellatum, non longè ab oſtio fluminis *Tees* verum aluminis metallum, i. e. ſaxum lividum his piſcibus foratum pluribus in locis inveni; inter pholades etiam Concha N. 20. numeranda eſt, quæ etiam ipſiſſima eſt cum N. 21. ut certò didici, lapides ſuprà poſitos aluminoſos frangendo.

Pag. 142. *l.* 4.) Item hæc, aut ſimilia

ſimilia Oſtrea Locuſtis Eboraci venalibus adhærentia ſæpiùs vidi, & levi coctione facilè ab earum teſtis ſeparavi, anteà verò potiùs univalves viſæ ſunt, at tum temporis pollicis unguem vix magnitudine implebant, ſcilicet Menſe Junio.

Pag. 184. *l.* 17.) Hujus aliqua teſta in litore *Scarborgenſi* collecta quinque digitos à cardine ad imum ambitum implevit, & ſenos latitudine habuit.

Pag. 190. Tit. xxxvi.

Concha rugoſa, Tellinæ-formis, lineolâ quâdam paululùm eminente, ab ipſo cardine ad imum ambitum donata.

Deſcr. HAnc tenuem concham inter Tellinas libenter numero,

numero, quòd huic etiam Figura anguſtior longiorque ſcilicet longitudo ſeſque uncialis, latitudo ad digitum unum ex alterâ parte angulo quodam excurrit in ipſo cardine, ex alterâ teſtâ Denticulus bifidus elegans. Huic ſtriæ ſive rugæ quædam denſæ: tranſverſæ & levitèr eminentes, ſive aſperæ, ex alterâ parte à cardine ad extremum ambitum procedit recta quædam lineola eminens, eaque in acutum quendam angulum, ut diximus producitur. Huic teſtæ color ex albo levitèr rubeſcens.

Hanc unam Concham vivam inter piſcatorum Scarborgentium retia, ab alto mari redeuntium ipſe inveni, ejuſque teſtam apud me diligentèr ſervo. *Locus.*

Pag. 192. *l.* 3.) *Ho* & *Hoſe-Fiſh*, dict. apud *Philoenſes* agri Eboracenſis.

Ibid. l. 4.) Eſt mihi, quæ octo digitos implet.

Diximus teſtam utramque nigro cardine, proximè ad alteram partem diſpoſito, inter ſe conjungi: Color autem teſtarum externus etiam in vivis, ex fuſco ſeu viridi flaveſcit: huic verò Piſci caro ex toto albeſcit: & ſi quæ pars minùs alba ſit, ea leucophæa eſt, ſive qualis in flore lactis. Ipſe autem Piſcis intra Concham ita ſe habet, *viz.* Ex altera & patentiore parte, quæ contra dictum cardinem poſita eſt, duo orificia rotunda cernuntur, quorum ſuperior duplo major eſt inferiore, utrumque verò velut Sphynctere fimbriato clauditur. Diducto verò vel diſſecto Cucullo, (nam in multis totum piſcem contegit) & bronchiæ duplices & neſcio quod membrum velut mentula in conſpectum veniunt: id verò

membrum

membrum quatuor circiter digitos longum, etiam valdè contractum, nervosum, rigidiusculum, obtusum; at illud etiam longè extra Concham exeri potest, quod vidi.

Ibid. l. 15.) Vivi capiuntur arenis *Philoensibus* magnis maris recessibus, qui ad plenilunium accidere solent, maximè mensibus Februario & Martio. Hi autem pisces ex alterâ parte se erigere solent ex arenâ; quo tempore nullo negotio copiosissimè capi possint; & noctu ferè ad lumen Candelæ.

Ex his autem piscibus dulce jusculum confici solet: & aliquibus in deliciis habetur: at nostris piscatoribus inter escas tantùm numerantur.

Etiam mihi eorum carnem gustanti valdè grata fuit præ Cochleis maritimis nostris quibusvis; ad Locustarum carnem proximè, ut opinor, accedit.

* Eſt etiam altera Solen (an Cappa longa vulgò Venetiis dicta. *Aldr.*) in æſtuario Fluminis *Severn*, ripâ Wallenſi, copioſè (ut mihi relatum eſt) invenienda. Eæ autem teſtæ, quæ mihi illinc allatæ ſunt, & multò anguſtiores proximè ſuperioribus fuerunt, & quod precipuè notandum eſt, in dorſum recurvæ: dorſum appello, ubi cardines ſunt. Figuram conſule, Appendice primùm editam.

Pag. 192. *ad Titulum* 38.) Illa Concha etiam Pholas eſt, & in rupibus cretaceis incluſus reperitur apud Diepenſes, ubi *Piteau* appellatur. Idem Saxo aluminoſo incluſus frequentiſſimè habetur ad litus juxta *Huntley Nab.* Huic (quod imprimis notandum eſt) etiam *tertia* Teſta exigua eſt ad valvarum cardinem; idque tantùm in vivo animali obſervavi. Item huic Penis biforatus,

biforatus, ſtriis tranſverſis ſubpurpureis diſtinctus, quo aquam ejaculatur. Hujus Teſtæ mediæ in figuri ſinus deprimitur: intra ipſas rupes vivit naſciturque. Craſſam extremitatem ſuprà, *i. e.* ſuperiore parte gerit. An Concha longa 3. Aldrovandi?

Pag. 193. *ad Tit.* 39.) An Concha longa 4. Aldrovandi? Hic quoque Pholas eſt, & ibidem apud nos & in Gallia reperitur; ſc. in iiſdem rupibus cretaceis cum ſuperiore; item huic *Tertia* quoque exigua teſta eſt ad valvarum cardinem; quod in vivo animali notavi. Item huic penis bino oſculo apertus, at is ex toto albidus eſt & ſine ſtriis.

Pholas roſtratus major Diepenſis, vulgò Gallicè *Piteau* dictus. Ex eſcis vernalibus maximè quæſitis habentur, & qui hos piſces è ru-

pibus ſubmarinis excidunt apud Diepenſes *Pitoquiers* appellantur. Concha longa 1. & 2. Aldrovandi. *Pag.* 195. *l.* 5.) Certe piſcatoribus noſtris optima eſca, & uſitatiſſima eſt; & quæ omni anni tempore facile paratur.

Pag. 196. *poſt N.* 40.) adjicienda eſt ea nova Lepas noſtra.

TITULUS.

Lepas ſive Patella altera minor, vertice lævi tanquam aduncо, minùs rugoſa.

Locus. Ex his aliquot invenimus circa *Hartlepool* & ad *Huntley Nab*; at multò rariores ſunt.

DE

DE COCHLITIS,

Emendanda & addenda.

PAg. 205. *l.* 16.) Si quis Jovis Amonis effigiem, hujuſmodi lapidum ſimilibus cornubus inſignitam videre deſideret, *Patini* Numiſmata conſulat. Theſaur. Numiſmat.

Pag. 137. *l.* 27.) In ipſis rupibus maritimis *Philo-Briggs* dictis, hi magnitudine & frequentia conſpicui ſunt: item inter hos alteram pleniorem teſtam ibidem frequenter obſervare licet: unde biſores eſſe eos non ampliùs dubito.

Ibid. l. 31.) Quàm ſuperiores illi *Huntingtonienſes.*

 Item

Item eoſdem Oſtracitas in albidâ quadam arenâ ipſo itinere juxta *Elliker*, ejuſdem agri Eboracenſis, unà cum Belemnite nigro copiosè invenimus.

Diuturnas ſanguinis rejectiones ſiſtit oſtracites lapis, pondere drachmæ unius cum aquâ. Dioſcor. parabil.

Pag. 229. Tit. xxxii.

Solenites.

Deſcr. MUlti longitudine dodrantales; imo aliquot pedales & ſuprà, Cùm verò vivi Solenes ex æquo lateſcant, hi lapides ex alterâ parte, duos pluresve digitos patent. Craſſi ſunt ſupra fidem, ad duos interdum digitos, ex his pleroſque biſores eſſe notavi.

notavi. E quodam lapide albido, ſive ſelenite in ſaxo arenoſo conſtabant.

In ipſo promontorio & alibi inter ſaxa *Philo-Briggs* dicto copiosè reperiuntur; at admodùm difficultèr è ſaxis exemi poſſint. *Locus.*

DE

TABULIS ÆNEIS,

Emendanda.

N. B. QUi Picturas in ære inciſit, is eò maximè erravit, quod omnium Turbinatorum volutas inverſit: adeoque quorum aperturæ jam dextram ſpectant, ſic intelligi debent, ac ſi levam reſpicerent: & contrà

contrà de aliis, quæ contrarium positum in Tabulis servant, existimandum est.

Eundem Errorem in aliis rerum Naturalium autoribus olim notavit Fab. Columa Aquat. & Terrestrium, Obser. pag. 61. Illius, inquit, *i. e.* Rondeletii, Pictor ignoravit artem Typographicam, in quâ omnia aversa depinguntur, ut impressa deinde recta reddantur: quare omnia illius & aliorum Icones siniſtro aspectu sunt, cùm dextro esse debeant, tantùm illic, ut quæ in Gesneri voluminibus exaratæ sunt, rectæ conspiciuntur, sed non industria pictoris illius, cum reliquæ non exaratæ ab impressis siniſtræ sint depictæ. De *Buonanni* figuris nuper editis idem dici potest: nam universæ falsæ sunt, nisi quas paucas à me aliisque mutuatus fuerit.

Figurarum

Figurarum Tabulæ primæ cum Appendice *editæ, explicatio.*

1. Muſculus Tituli xxxi. *Append.*
2. Muſculus Tituli xxx. *Append.*
3. Muſculus Tituli xxix. *Append.*
4. Muſculus Tituli xxxiii. *Append.*
5. Muſculus Tituli xxxiv.
6. Muſculus Tituli xxxii.
7. Buccinum Tituli x. de Cochleis terreſtribus.
8. Concha Tituli xxxvi. *Append.*
9. Solenites. *Appendicis.*
10. Suturæ ex latere Tituli ix. de Lapidibus Turbinatis.
11. Suturæ ex Spina Tituli v. de Lapidibus Turb.
12. Suturæ ex latere alicujus non deſcripti.
13. Echinus minor. *Appendicis.*

Figurarum

Figurarum Tabulæ ſecundæ explicatio.

1. Limax rufus.
2. Limax maculatus. Tituli xv.
3. Pholas roſtratus major Diepenſis.
4. Pholas alter, nobis olim Concha candida,&c. dicta. Tituli xxxix.
5.
6. Pholas idem cum numero 4. cum animali, ſive ipſum animal cum ſuis Valvulis.
7. Pholas anguloſus nobis olim Concha alterâ parte dimidiâ, &c. Tituli xxxviii. dicta, cum animali.
8. Conchites roſtratus.
9. Solen alter curvus minor.
10. Patella altera minor ipſo vertice lævi & quaſi adunco.

Figurarum

Figurarum Tabulæ tertiæ explicatio.

1, 2. Cochleæ terreſtres ex locis Mediterraneis Inſulæ Jamaicæ.
3. Cochlea terreſtris è Virginia.
5. Cochlea fluviatilis è Rhodano juxta Viennam Galliæ.
4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Cochleæ terreſtres agri Monſpelienſis.

Tabulæ autem 4, 5, 6, 7. mutæ ſunt nec hic explicantur; Scarabæos autem Anglicanos ad vivum depictos exhibent optimi artificis operâ.

FINIS.